Dissertatio satyrica physico-medico-moralis de pica nasi sive tabaci sternutatorii moderno abusu et noxâ / Authore Joanne Henrico Cohausen.

Contributors

Cohausen, Johann Heinrich, 1665-1750

Publication/Creation

Amstelodami : Apud Joannem Oosterwyk, 1716.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wrdk38bk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

18246/A/1

f.3B

AMSTELODAMI
Excudit Johannes Oosterwyk.
MDCCXVI.

63020

DISSERTATIO SATYRICA

PHYSICO-MEDICO-MORALIS

DE

PICA NASI,

SIVE

TABACI STERNUTATORII

Moderno abusu, & noxâ.

AUTHORE

JOANNE HENRICO COHAUSEN

Hildesiensi. M. D.

AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM OOSTERWYK.

CIↃ IↃCCXVI.

1716

AD ZOILUM.

Nasutus sis usque licet, sis denique Nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas*.
Permittes tamen, ut sale sic mordace fricetur,
Quò Camarina tuis naribus atra fluat.
Nè perdas operam Nasum stimulante tabaci
Pulvere, sat satyræ cuspide punctus erit.
Sternue nunc, & nare fragor tonet altus obesâ:
Ipse ego quàm dixi, dicere plura nequis.

* Martialis.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

EPISTI

EPISTOLA DEDICATORIA

VIRO

Ornatissimo & Doctissimo

D°. HENRICO GRASPERO

AMSTELODAMENSI

THEOLOGO ET ARTIUM MAGISTRO,

Suo, & inprimis Ιατρικῆς,

AMICO MAGNO

COHAUSENUS. M. D.

Salutem & Hygæiam.

CUm hactenus nobis longo licet terræ marisque intervallo divisis, de variis in Rep. literariâ novis familiares literæ frequentius colloquium fecerint, nunc etiam aliquando hac Te paginâ publicè affari adlubescit. Significaveram nuper inter cœteros meos calami vix unquam otiosi fœtus, dum *Neotheam* jam

ultimis nundinis lipsiensibus in lucem emissam parturirem, etiam Dissertationem de Picâ nasi horis subcisivis mihi esse subnatam, quæ vexatissimos tabacophilorum nasos sat multo sale defricaret. Placuit sic Tibi quidem *Neothea* argumenti novitate & utilitate, ut eam pro bono publico in usum patriæ tuæ è Germanico in Belgicum idioma operâ sanè Herculeâ, quæ publicum hìc meretur elogium, transferre nunc sedulus allabores. Nec minus sic arrisit & materiæ & tituli novitate hæc de Pica Nasi Dissertatio, ut in temetipso Picam concitatam esse rescripseris; non illam qnidem prurientis nasi, sed curiosæ mentis, hujusce morbi, sive physicum sive moralem dixeris, indolem ac conditionem pro eo, quo in res Physico-Medi-

dicas ferris affectu & ſtudio, pleniùs cognoſcendi. Verùm mi Amice, æquane iſta tua eſt Picæ meæ orexis? Eſt tibi naſus terſiſſimus, eſt defæcatiſſimum cerebrum, ut ejuſmodi non indigeant everriculis. Scripta hæc dica eſt obæſis naribus, quibus infeſtus eſt veritatis odor, quo tibi nil jucundius gratiuſque. Attamen, candidé fateor, placuit mihi ſummoperè tuus iſte appetitus, quem nolim te appellare Picam, niſi hanc meam Diſſertationem inter res quoque maximè abſurdas velis collocare. Illum igitur ne, quod aliàs fieri amat, rei deſideratæ longiori remorâ permittam elangueſcere, hac confeſtim ſubmiſſâ viſum eſt non tam ſatiare quàm delinire.

En igitur illam traditam curæ tuæ,
Quin dedicatam Nomini tuo accipe,

Prodire confestim hanc jube in lucem rogo,
Quò prurientis pluribus nasi auferat
Picam juvenibus, & puellis, & viris,

Accipe Vir literatissime munusculum hoc ingenio tuo, Doctrinæque, imò singulari erga Medicinam affectui debitum, ceu amicitiæ nostræ tesseram. Nolim tamen Picam hanc Satyricam musis tuis severioribus obstrepere. Satis est, si eam in Bibliothecæ tuæ perelegantis angulo mutam resisidere, & ad alios, quos Satyræ delectant Camænæ, per eruditi Belgii Provincias, sat loquacem quantocyus abire permittas. Vale Musarum Ocelle, non valetudine tantùm felici, sed & ipsâ felicitate dignus. Vredenæ Westphalorum Pridie Nonas Junii. MDCCXVI.

T A-

TABACENTHUSIASTICON.

LEctor adesto. Tuum Nasum volo. Porrige. Forsan
Obstructus nimium, forsan obesus erit.
En Nasi Medicum; Picæ *qui pharmaca promit,*
Pharmaca purgandis naribus apta tuis.
Omne feret punctum nares purgando. Times ne?
Et quo pungat habet, quoque titillet habet
Re Medicâ Cous, *Satyrâque alter* Juvenalis
Ingenio Plato, Roscius *eloquio.*
Expertus curam Nasus nisi sit bene punctus
Purgatusque, Iatron dic, licet, esse malum.

Clar. Viro Amico suo integerrimo de Picâ Nasi differenti posuit Tabacum captans Nasale non tamen Picans Amicus notus anagrammate.

GERMANUS DONO HUMNINCINUS.

AMICI

INTIMI APPLAUDENTIS

DE

PICANASI

VATICINIUM.

RUrsus Amice paras nunc strictus nunc pede liber
Grande quid, & quod vel Nasus prægrandis anhelet?
Jam laxas video nares trepidare; subintrant
Dum stimuli, atque acri punguntur cuspide Veri.
Os populi meruisti, Naso adversa locutus.
Quis populi sermo? Quis? fæda Catharmata Nasi
Petophili sistenda, minus quoque nunc per avaros
Ungues iturum Tabacum. Vis tanta libelli est.
Callidus excusso populum suspendere Naso
Multorum transibis ubique per ora Virorum.
O quot hic auriculas capiet liber, undique tritus
Et crebris maculis signaturisque notatus?
Vir leget & Juvenis, leget & Lectissima Virgo
Quos sale pungenti licet ipse fricaveris, omnes
Ingenio compulsa tuo præconia dicent:
Ast nec ego meritas desistam promere Laudes.

Amicus ex intimis
intimus

HENR. PAR L'HERBE.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM
AD
LECTOREM.

REs mephyti plena eſt movere camarinam. Res plena periculo uncos irritare nares. Fateor, utrumque facio, dum Satyrâ naſalem perſtringo pulverem, & in uliginoſis plurium naribus jam fracidas tabaci ſordes moveo. Fateor excutitur

Turbidus hìc Cœno vaſtâque voragine gurges. Virg. 6. Æn.

Naſus inquam tot naſutiſſimorum, in quo à multis jam annis *nigro turbida limo colluvies immota jacet.* Luc. 4. Pharſ. Et primus quidem, quod ſciam, hoſce datâ veluti operâ irrito crabrones. Quid ni metuam ibi & ipſe ſordidari, hìc pungi? Verùm jacta eſt alea. Spargo & diſſipo pulverem. Furio-

rioſæ apes turmatim involantes injecto pulvere conſueverunt ſubſidere. Forſitan ſors eadem manebit Naſutulos. Neque mihi motæ camarinæ nocebit putor, qui me veritatis munivi pharmaco. Qui inquam rectæ rationis & experientiæ, veriſſimorum quoque exemplorum ſcuticâ pravum illum ſexu virili jam à duobus fere ſeculis inveteratum, in fæmineo autem novitium tabacini pulveris per nares captandi morem generoſè caſtigo; nullius tamen injurioſè proferens aut laceſſens nomen, ſed innocuis ludens ſalibus & Naſi humani carpens modernam Picam. Acriter fateor utriuſque ſexûs tango nares. Sed Hellebori potu opus erit eoque ſanè meraco ei, qui ſe tactum dixerit:

Adeſte ergo, quibus jam pridem aut intra nares ex luto tabacino concrevêre cruſtæ, aut etiam illius ſtimulis acrius emunctæ ſunt nares. Non celo

vos,

vos, cupio, ſi fieri poteſt, loqui propitiis naribus, & auribus veſtris, ſin minus; dicam & iratis. Dicam quod paſſim fit, dicam quod non invita juſſit minerva, ſive hic tacito naſo miretur, ſive ille rigido indignetur. an liberè propalata veritas *Tongilianis, qui nil præter naſum habent*, placeat diſpliceatve, parum ſollicitus ſum, qui ut culpam vitarem, vera ſcripſi & læſi neminem. Martial. l. 12. Epig. 89.

Acrimonia ſtyli ſi fortè quem offendat, (quantumvis illa rerum certè utilium amænitate ſit temperatus) is meminerit, Tabacum utcunque acre non lædere pungendo. Hæc ſatyra punget multos, non lædet. Etiam puncturis curantur morbi, puncturis evacuantur ſubcutanei vapores. Puncturis exantlatur vitioſus ſanguis. Tentandum & mihi, an his puncturis, quæ nullam tamen ſanguinis ſtillam evocabunt, multorum queam

cor-

corrigere morem ſanitati perniciosum. Pungam quidem plurimos ad vivum, ſed qui inde dolorem injuſtè ſentiunt, recordentur verborum Romani Sapientis: *Nunquid æger laudat Medicum ſecantem? Tacete, favete, & præbete vos curationi. Etiamſi exclamaretis, non aliter audiam, quàm ſi ad tactum vitiorum veſtrorum ingemiſcatis. Teſtari vultis attendere vos, moverique rerum magnitudine? Sanè liceat, ut quidem judicetis & feratis de meliore ſuffragium, quid ni permittam.*

Epiſt. ad Lucil. 52.

Verùm neſcio, quam medelæ fortunam hìc mihi mens præſaga promittat. Inæquales ſunt temporum, affectuum animorumque vices. Fortè quod carpis hodie primâ lectione, cras laudabis imitatione; & Naſo modum ſtatues prurienti. Sin minus; per me licet, pixidem tuam tabacariam baſia, rebaſiaque, & narium *levi rimoſa cubilia limo* Hiſpaniæ latè inducas. Sed

Virg. 4. Ge.

Sed iterum alios nec fortè vanos hìc auguror ſtrepitus. Etiam ſexus infirmior, ſive ſi appellationem hanc ægrè ferat, pulchrior hìc ſubmittendus eſt curæ. Nam & ille Tabaci ſic ineſcatus eſt lenociniis, ut ex aſſiduis ejus contrectationibus & Naſinſertionibus (Nemo me criminis læſæ latinitatis reum ad Ariſtarchi tribunal deferat, ſi verbo interdum ad novi hujus moris exigentiam novo utar) non vereatur ſordidari, nec pœdorem inde metuat, neque contrahat pudorem. Vidi ſæpe & obſtupui, tacituſque mecum riſi informes iſtas ex tabaci pulviſculo fæminis ductas in ore & ſub naſo notas. Sæpe de his nonnullas monu.

— *Ne ſtercore fæda* tabaci
Atria diſpliceant oculis venientis amici. Juvenal. Sat. 14.

Sæpe tamen plures monere vetuit

tuit ſexûs dignioris reverentia. Quibus ſuavior erit pro verbis litera. Saltem non eum incutiet ruborem ſcripta, quàm præter exſpectationem vivâ voce facta reprehenſio. Neque enim hanc illamve in ſpecie, niſi ſub alieno & ficto nomine, ſed univerſim omnes Nicotianæ tanget amaſias. Quarum oculis tabaci in naribus & fumi in ore fæminæ fœditas ſic objicietur, ut quantum à ſexûs ſui decore abeant, ſemetipſas in hoc veluti ſpeculo ad vivum repræſentatas conſpicientes intelligant. Nemo dixerit me ſurdis narrare fabulam, hunc laceſſendo ſexûs imberbis morem Eruditorum idiomate, quod non intelligunt. Certè erit horum illis interpres. Non deerit, qui explicabit imò fortaſſis, niſi ipſe præſtiterò, qui hæc in linguam transferre vernaculam operæ pretium judicabit. Viſum tamen fuit hanc ob cauſam hìc pluribus in locis eſſe bilinguem.

Cum

Cum enim innumeras ſaltem per Weſtphaliam Bataviamque reperias, quæ linguam callent gallicam, pro illis hinc inde quædam interſpergere lubuit Acroamata; licet certus ſim, illarum mihi haud conciliatura favorem, quem tamen Divæ Veritatis gratiæ longiſſimè poſtpono. Hìc igitur nil amplius eſt, quod moratur, imò ne malignus quidem *Papili* naſus, quin telam inceptam pertexam. Præloquio igitur hìc terminum ſtatuo, cui monitum *Juvenalis* inſcribo. Scilicet, dum aliquando Petophilus ad neceſſitatem tabaco ſternutatorio utitur, ſaltem ejus

Ne perfuſa luto ſit porticus. Sat. 14. l. 5.

☞ *Si quoſdam artis Terminos in Picâ Naſi occurentes Lector quiſpian forſan non intellexerit, conſulat Appendicem.*

DISSERTATIONIS SATYRICÆ

DE

PICA NASI,

SUMMARIUM.

PARS PRIMA.

De Tabaci ſternutatorii moderno abuſu.

§. I. *Explicatur, & defenditur Diſſertationis titulus de picâ naſi.*

§. II. *Prima Origo & anſa pulveris ſternutatorii.*

§. III. *Uſus illius utilis hodie pravo more & conſuetudine in peſſimum abuſum mutatus.*

§. IV. *Tabaci ſternutatorii uſus per omnes ſtatus hodie paſſim obvius & familiaris.*

§. V. *Mos pulverem tabaci naribus attrahendi etiam ſexui fæmineo hodie uſitatus.*

§. VI. *Pulveris Tabaco-Naſalis capiendi varii prætextus.*

§. VII. *Pulveris tabacini inordinatus ac intempeſtivus uſus.*

§. VIII.

§. VIII. *Immensa pulveris tabacini Dispendia.*
§. IX. *Pulveris tabaci Nasalis Variæ species.*

PARS SECUNDA.

De Tabaci sternutatorii Noxâ.

§. I. *Odoratus abusu sternutatorii in multis valde imminutus, in pluribus penitus sublatus.*
§. II. *Tabaci Nasalis abusus vocis tollit gratiam.*
§. III. *Pulvis tabaci longâ assuetudine quam Naso tribuat constitutionem.*
§. IV. *Visus nimio pulveris tabaci usu planè amissus.*
§. V. *Auditus pulvere tabaci narino-ferino omnino abolitus.*
§. VI. *Pulveris tabaci abusus cerebro inprimis noxius.*
§. VII. *Tabaci pulvis pectori & pulmonibus perniciosus.*
§. VIII. *Histrioni Comico ad tabaci elogium respondetur.*
§. IX. *Dissuadetur adolescenti abusus tabaci sternutatorii.*
§. X. *Dissuadetur corporis aridioris seni Tabaci sternutatorii usus.*

§. XI. *Tabaci sternutatorii usus sexui fœmineo inutilis ac probrosus sistitur.*

§. XII. *Pro coronide sexui fœmineo etiam fumatio tabaci dissuadetur, imò certo sensu suadetur.*

DIS-

DISSERTATIO SATYRICA DE PICA NASI.

PARS I.

De tabaci ſternutatorii moderno abuſu.

§. I.

Explicatur & defenditur titulus.

Irandum Symptoma PICA eſt, & depravatus, nedum aliquando brutalis appetitus, quo quis inſigni voluptate & deſiderio in res ſæpè abſurdiſſimas fertur. Affectus quidem ex ſtomachi vitio, inprimis circa orificium ſuperius laborantis, ſed in quo ſimul afficitur & phantaſia, & guſtus, & odoratus. Laborat phantaſia, cui rerum etiam peſſimarum ideæ ſub ſpecie boni, jucundi, aut

utilis repræſentantur. Non enim ſtomachus ſed phantaſia eſt, quæ appetitum ad iſta determinat. Afficitur guſtus, dum res non rarò deteſtandi ſaporis, ut terra, cineres, pix, axungia curulis & vel ipſa hominum animaliumque excrementa ſerviunt pro cupediis. Afficitur odoratus, dum ſummo fætore aliis moleſta ſuperare videntur balſamum, & præ Arabum placent thymiamate. Et hanc Picam revera naſo quoque advenire teſtantur Medicorum Ephemerides. Salmuthus exemplum affert Virginis picantis, quæ veterum librorum à tineis blattiſque eroſorum ſituque prorſus corruptorum fœtore ita delectabatur, ut naribus per totos dies in illos immiſſis odorem maximè, ut dicebat, ſuavem hauriret. Borellus aliud recenſet exemplum puellæ picantis, cui odor corii inſtar balſami ita ſuavis eſt viſus, ut quo hunc perciperet, illud ſemper in ore detinuerit, & maſticaverit. Calceos vetuſtiſſimos ſic deperiit, ut eorum odorem fœtidiſſimum moſcho & ambræ compararet. Notant porrò medicorum Principes, iis præcipuè hunc contingere affectum, quibus debiliores ſunt animæ, & in proprias paſ-

Conſ. Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 5. App p. 16.

Cent. 2. Obſ. 63.

Cent. 4. Obſ. 2.

paſſiones mentis exile eſt imperium, ac volupe potius & præcipuum exercitium, linguæ & irrationalis ventriculi motibus auſcultare.

Quibus omnibus penſitatis perpetuum illum pulveris tabaci ſternutatorii appetitum meritò & ſat aptè Picam Naſi appellare videor. Afficitur enim primùm quidem naſus, dum nervi ejuſdem ſenſorio implantati perpetuis quaſi Criſpationibus Nicotianæ odorem anhelant. Laborat Phantaſia, dum ejus cum delectamento ſæpiùs ſumptæ ideæ ſolitâ nervoſarum & membranoſarum intra nares fibrillarum vellicatione ita primo ſenſorio, ubicumque tandem ſtabuletur, aut menti potius offeruntur, ut pertinaciter ejus attractioni indulgere ſit neceſſum. Qui quidem appetitus aliquando ita inordinatus eſt, ut quo ad hunc plures ſatis deliri videantur. Quis enim neſcit melancholiâ affectos circa unum fortè alterumve objectum planè delirare, cœtera aliàs prudentiſſimos. Itali hominem inſanum idiomate ſuo *intabaccato* appellant, aptiſſimâ ſanè hìc, ſi alicubi, applicatione. Quis enim pulveris tabaci fatuâ captos orexi & inſatiabili picâ, non appellet *intabaccatos*,

id eſt mente, aut naſo ſaltem non ſatis ſapientes?

Pica producit rei abſurdæ appetitum, & jucundam, frequentem copioſamque aſſumptionem. Eadem progenerat *Tabacorexis*. Licet peſſimi ſit odoris ſaporiſque, appetitur tamen ardenter, capitur abundanter, & nunquam eo naſus ſatiatur. An putas verò hos ſatis paſſionibus dominari, qui tantum â ſe non obtinent, ut naſo imperent? Tam profunda eſſe conſuevit naſalis hujus appetitûs impreſſio, ut ne alia quidem externa objecta, & ne maxima quidem rerum agendarum multitudo ejus motum & inſtinctum ſupprimere valeant. Ubi namque & alia plurimum urgent negotia, hic interim non ceſſat ſtimulare. Sua quidem ſiti, ſua fami ſunt tempora, ſed Picæ naſi nullum eſt determinatum, quando omne eſt opportunum. Quanta ſit Orexis tabacinæ violentia, exemplis infra pateſcet, quæ adeo ſæpè quidem intenditur, ut jure Tabacomania dici poſſit, nec morbo nec mortis ipſius ferè articulo illi frænos injiciente.

Varii dantur in foro medico appetitus. Datur *Cynodes Orexis*, appetitus caninus. Datur *Bulimia*, appetitus bovi-

bovinus. Sed *pica* apppetitus eſt inprimis fæmininus quamvis ſæpè viri ac juvenes illo corripiantur. Et certè hodie fœminæ quoque Picâ naſi laborant, ceu eam inferius vivis coloribus depingam. Mulieres gravidas, infeſtari picâ ſtomachi, quam cittam vel malaciam appellant, tranſeat cum cœteris ſexûs, in illo ſtatu erroribus: Innuptas quoque puellas rerum abſurdarum aliquando teneri deſiderio, excuſet ad id diſponens humorum ſaburra, & Blas uteri deſpoticum. Sed quod utræque corpore ſanæ, ſolâ incitante aut voluptate, aut malâ conſuetudine, aut novo *Galanteriæ* more (Liceat Eruditorum veniâ huic verbo donare Romanam Civitatem:) naſi Picâ detineantur, neſcio an mentis ſatis ſanæ ſit indicium. Viros autem, quos natura ſic conſtituit, ut pathematum ſuorum valeant eſſe domini, ad viliſſimam Naſi ſervitutem abjectos eſſe, numquid aliud eſt quàm ultronea inſania?

Definio igitur Picam Naſi, quod ſit inordinata citra neceſſitatem, & nullâ habitâ aut temporis aut loci ratione, ſub vario ſæpè prætextu, tabaci ſternutatorii naribus ingerendi cupiditas, utrique ſexui hodie communis, &

difficulter, ubi ſemel invaluerit, curabilis. De hoc igitur morbo, ſive phyſicum velis ſive potius morale, præſens Diſſertatio aget. Addo quicunque es lector

Iraſci noſtro nolis Naſute libello,
Eſt Naſus, non eſt vita, reprênſus eo.

§. II.

Prima Origo & anſa pulveris ſternutatorii.

NEceſſitas inventionum mater, ptarmicorum uſum reperit jam multa ante ſecula. Narium naturalis iſta eſt conformatio, ut & à cavitate oſſis frontalis ductum excretorium, & ab auribus aquæ ductum ad narium confinia exporrectum, tum ductum lacrymalem nerveum punctis lacrymalibus continuum, tum denique plurima vaſa excretoria ab interiori tunicâ glanduloſâ poſſideant. Per quos tubulos & cerebrum & aures oculique excrementum quoddam ſive aqueum viſcoſumve ſive ut nonnulli quoque credunt, vaporoſum naturaliter tranſmittunt & evacuant, ut id clarè oculis ſubiicit

Ana-

Anatome, & celeberrimi *Nicolai Stenonis*, *Julii Casserii* aliorumque industria detexit. Quando igitur hi canales à lymphâ crassiori, mucove viscidiore, quod non rarò accidit, obstruuntur, utiliter in usum vocantur ptarmica sive pulveres sternutatorii, qui subtili & volatili sale & ductus aperiant, & impacti muci coagula resolvant, & suâ acrimoniâ fibras tunicæ narium maximè sensibilis irritantes violentum sternutationis motum ad remoras istas excutiendas concitent.

Obs. Anat. App. d. Nat. Var. Pentæsth. l. 3, S. 1. c. 18.

Priusquam Nicotianam Orbis Europæus conspexerat, nostrates herbæ cephalicæ acriores, Majorana, Betonica, Origanum, flores Liliorum Convallium, Helleborus uterque pluresque ejus sortis aliæ pulveribus ptarmicis materiam præbebant, ad usum providæ antiquitatis parcum & duntaxat necessarium. Posteaquam verò *Columbus* remotissimas novo sub sole terras quæritans, in alium veluti Columba Noæa orbem evolans, non oleæ quidem ramum, sed exotica tabaci folia ore (nam id de iis ad fumandum accensis aptè dici potest.) secum detulisset, fortè nautæ & milites, & assidens Verna triremibus casu experti

ſunt, eorum in navi reconditorum exſpirantem pulviſculum naribus exceptum excitare ſternumina; quibus & mucoſa adduceretur illuvies, & ſub humidiori frigidiorique aurâ caput levaretur. Vix caſus hic genuerat experimentum, à turba nautica deinceps primò in uſum deductum, mox, ut nova aſſolent ex peregrinis terris allata omnia, ad Hiſpanos, Anglos, Batavos, demum & ad Italos, Gallos, & Germanos, aliaſque nationes provolavit ſat celeri progreſſu, in uſum prius utilem, mox in ſupervacuum, tandem etiam in voluptuarium abiens. Nunquid enim, ô rem riſu dignam! etiam nunc intra nares Voluptati parentatur? Dico parentatur, in quibus cumulos & quaſi tumulos conſtruunt Nicotianæ amatores, quibus odoratui aliiſque ſenſibus funera faciunt, certè non juſta, injuſta maximè. O miſeros ſui Veſpillones intabaccatos, qui ante deſtinata corpori fata ejus ſenſoriis immaturam necem inferunt, & ceu ille apud Martialem *Pincens* ſuos dentes, hic oculos, aures, alioſque ſenſus ad tumulum quaſi præmittunt, ut infra latiùs exemplis oſtendetur.

L. 8. Epigr. 57.

§. III.

§. III.

Usus Tabaci sternutatorii utilis hodie pravo more & consuetudine in pessimum abusum mutatus.

ITa nempe jamtum inoluit mos ille novus nasales prensandi pulveres, ut hodie apud innumeros illo nihil sit antiquius, quos tamen nec invitat utilitas, nec cogit necessitas, solius consuetudinis saltem imperio obsecundantes. Prô hominum fidem! quæ in tabaco sunt illecebræ, ut ejus pixidem, tamquam Amasiam Venustulam etiam depereant prudentes? etiam efflagitent magnæ mentes? Videtur illud *Loto* simillimum esse Homericæ, quam qui semel degustârant, sui quasi immemores ab illâ Regione recedere non poterant. Prô quanta pravæ consuetudinis est tyrannis, cui qui semel, colla subdidit, nequit imposterum retrahere! mira sunt Nicotianæ præ omnibus mundi herbis fata, dum vertitur in abusum. Sumitur minutim, carptim, raptim, mane statim, ore & nare trahitur certatim, à multis vix interpolatim, consumitur unciatim, & vel

ab uno homine ad plures libras annuatim. Hic mos eſt paſſim. Farciuntur nares ubertim, glomeratim, & preſſim, deſideratur efflictim, captatur vix diſcretim; pauciſſimi ſunt, qui contemptim habeant. Certa hodie in eo quæritur Civilitatis ſpecies. Vix quisquam haurit ex pixide, quin eam ad lævam dextramque præſentet. Pixis tabacaria liberales facit. Gratiſſimum conſuevit eſſe beneficium, quod paratum eſt, facile occurrens, ſine mora acceptum & ſine accipientis verecundiâ. Tale profectò hic pulvis eſt, qui etiam antecedit deſiderium cujuſque, & adeſt antequam rogetur. Non exſpectatur amici poſtulatio, ultro offertur, neque etiam, ſi ad rogandum os concurrit, rubor petenti aut danti ſuffunditur. In ſocietatibus & conventiculis paſſim nil familiarius eſt, quàm carptim diripere aliquoties intra horam, & præſentibus dividere herbam hanc, Bonum Communicabile. Nec facilè quisquam ad eam nares corrugat. Præſentatur exiguum munus, gratum tamen. Non abhorretur ne intra templum quidem, ne intra ſepta ſacrorum, ut vetus habet paræmia, quaſi malum ubique, domi, foriſque neceſſarium. Sunt

qui-

quibus ne in ſella quidem Patrocliana & Cloacinæ ſacello ab eo ſint feriæ. Moleſtus interpellator Venter eſt, ſed fame urgente. Verùm & hodie eſt Naſus, nullâ tamen neceſſitate premente. Verè apud Homerum dixit Ulyſſes:

Non eſt improbior res altera nare moleſtâ,
Quippe vel invitum meminiſſe ſui jubet, etſi
Valde animo crucieris & angat pectora mœror.

Prô quanta eſt inveteratæ conſuetudinis tyrannis! quanta ſervitus etiam in Dominis! Nuper Nobilis *Naſidienus* in rheda mihi viæ comes, naſi hoc pabulo in ejus pixide, neſcio quo caſu, deficiente, identidem id ex mea capſula, qualem tamen me nunquam geſtare jam aliquoties monueram, exigebat. Inanem igitur ſuam continuò olfaciebat avidis naribus, quaſi ex eâ venaturus extremam animam. Riſum diſſimulare non potui, & cauſam rogatus recitavi illud Phædri: Fabul. XL.

Anus jacere vidit epotam amphoram
Adhuc falerna fæce & teſtâ nobilem,

Oda-

Odorem quæ jucundum latè ſpargeret:
Hunc poſtquam totis avida traxit naribus,
ô ſuavis anima, qualem te dico bonam
Antehac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ?
Hoc qui pertineat, dicet qui me noverit.

Arriſit Naſidienus, & rem quoque non aliter cum pixide tabacariâ ſe habere faſſus eſt, ut non inficetè quis eam appellaverit *Eburneam pixidunculam, domum bene olentis animæ recreandis naribus.* Poterat profecto ille cum anu Plautinâ pauculis mutatis repetere, & ſic ludere cum ſuâ vacuâ pixide:

Curcul. Act. 1. Sc. 2.

Flos veteris Tabaci meis naribus objectus eſt.
Ejus amor cupidas has prolicit ad pixidem.
Ubi, ubi eſt? prope me eſt. Evax! habeo. Salve Anime mi,
Narium lepos. Ut ego pulveris tui cupidus ſum?
Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea eſt,
Tu mihi ſtacte, tu cinna momum, tu roſa,
Tu crocinum, & caſia es & bdellium. nam ubi
Tu profuſus; ibi ego me pervelim ſepultum.

Sed

Sed quùm adhuc naso odor subsequutus es meo;
Da vicissim meis naribus pulviscULUM.
Nihil ago tecum. Ubi est ipsus? ipsum expeto
Tangere, invergere in me odores tuos
Sine confestim. Sed heu abiit!

Ita passim nasus Comædus est cum suâ *Tabacchierâ:* (ignoscite verbo novo, sed è latio deducto:) ut ex omni statu petsonæ hanc verè ludicram cum naso scenam agere hodie non erubescant, ceu jam spectabimus.

§. IV.

Tabaci sternutatorii usus per omnes status hodie passim obvius & familiaris.

TAndem Nicotiana *omnibus in terris quæ sunt à Gadibus usque auroram & Gangen* communis est. Tandem abiit à Triariis ad ipsas Tiaras, ex haris ad aras, è castris ad rastra & rostra. ubique aditum obtinet vel fumo placens vel pulvere, Præpotens hæc Orbis Brasiliani Dea, Verginiis in arvis sata & nata, Regni vegetabilis Regina, per mundi tractus universos Domi- Juvenalis.

na

na hodie deſpotica, cui tot ſerviunt omnium nationum ora fumigantia, tot famulantur myriades manuum, fiſtulas pixides & capſulas fabricantium, tot mancipantur tributarii naſi ante faciem omnium populorum; cui plura indies fiunt fumi & ſacrificia, quàm magnæ olim Deûm Matri *Cybele*; Heroïna inter viros latè dominans, nec minus inter fœminas pro more novo imperans; Hygeiæ mater dicam an noverca; morborum tacita dicam Confæderatrix, an Victrix; individua Cinifloruum & fumivendulorum comes; otiorum & negociorum fidelis ſocia; in aulis principum, in caulis ruſticorum contubernalis; Togatæ & Sagatæ Palladis aſſecla.

Qui gloriam Agoniſticam indipiſci volebant, hos dicebat Vates Lyricus *Colligere pulverem Olympicum*, ſcilicet *non indecoro pulvere ſordidus* diſcedebat è palæſtra luctator. Hos nunquid imitari dicemus ſordidulos illos Nicotianæ pullos, qui in pulverulento hoc ſtadio tam ſtrenuè decurrunt? nunquid rurſum cum Vate dici poteſt?

Quales extiterint pueri innuptæque puellæ

Atque

Atque adoleſcentes in olympico
Pulvere. ——

Tales & hodie verſari in naſali? intra Palladis Orchæſtram, & Philomuſos videbis nullo non tempore prenſare hæc libamina, è naſo non diu poſt recidua. O formoſulos Apollinis filios! hodie ut cum Scitiſſimo Thorio loquar,

Non ſatis eſt pueris ſalebroſa in nare magiſtri
Eminus extantes oculo numerare pyropos,

ſed & fas eſt eum aſperſo ſordidum pulviſculo mirari.

Intra curias. Adi politicorum & Civilis ac publici Juris Conſultorum conſeſſus. Conſpicies in tantâ negotiorum, quâ ſæpè obruuntur, copiâ non intermittere, ſed quaſi, imo verè, aliud agentes hunc pulverem continuò prodigere. Nicotiana non fugit faſſes Conſulares, non ſuperba clamoſi jurgia patroni exhorreſcit. *Baſſus* licet ſedeat in alto tribunali, & jura dicat partibus, carpit tabacum; & jejunus capit & comedens; ambulans capit & ſedens: capit & cacans. Semper in prom-

promptu eſt. Sed quî emunctæ naris eſſe poteſt, qui ſemper eam habet oppletam tabaco? Vereor, ne plures naribus nimiùm perpetuò obſtructis odorem Veritatis capiant. Thraſymachus apud Platonem Socrati optat nutricem, quæ nares emungat. Nolim quibuſdam Judicibus, & cauſarum Arbitris tales aptare nutrices, ne iis ſtuporem videar objicere, quòd eo pulvere abutantur; optârim tamen ſic eodem defæcari illis cerebrum, ut in perveſtigandâ rerum varietate & veritate longè eſſent ſagaciores.

L. 1. de Rep.

Ita eſt. Tabaci quotidiano contactu etiam ſapientiæ ſtudioſi contaminantur, ut verbis utar perſpicaciſſimi *Lipſii*. Et ſanè, quis non miretur Viros prudentes, aliàs rebus in omnibus juſtam ſervantes mediocritatem, in pulvere naſali non rarò tam enormiter excedere? quid huic conſuetudini prætexant infrà videbimus.

L. 2, Manud. Diſſ. 21.

Verùm id fortè facilè condonabimus Viris majoris abollæ, ſed cui ſplenem non moveat, quod etiam Vernula cuſtos eſt capſæ tabacariæ, quod &

Mart. l. 12. Epigr. 59.

—— Hoc piloſus
Hircoſis petat naribus colonus

Hoc

Hoc carpat quoque textor, fullo,
Et sutor modò pelle basiatâ,
Et menti Dominus pediculosi,
Et cœcis oculis, & ipse lippus.

Mehercle omni statui & ætati hodie arridet Nicotiana nasalis, ut de se ipsâ videatur loqui:

Me juvenes prensate: omnis mihi convenit ætas.
Nare decet pueros carpere, nare senes.

Nè mirare, me quoque huc accersisse colonos. Etiam è corte rustica protractis, & odorandæ curruum Axungiæ assuetis nares olent Hispanicè.

——Luscus Pelias, geniique sagacis
Idmon, Cœrulei ridendus tubere nasi.

Amant nares pilosas irritare peto, & grandes inficere alas. Nè fabulam me narrare putes. Refert *Rosinus Lentilius* Ducis Wurtenbergici Archiater famigeratissimus in Descriptione Curlandiæ, hujus Regionis rusticos Nicotianæ pulvere tam mirificè delectari, ut propemodum minùs quàm ipso pane carere possint. *Salutationionis*, inquit

Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 10. in App.

quædam apud ipſos ſpecies, dum ruſtico ruſticus fit obviam, ut Nicotianæ ſuam quiſque thecam ſibi viciſſim offerant, quod ni fiat, incivile prorſus habetur. Ita eſt. Etiam curvi moderator aratri retuſâ nare amat hanc inſpirare herbam. Immenſa hæc tabaci naſalis libido non ad voluptatem tantùm eſt, ſed eâ in parte comitatis, & penè diſciplinæ; ſive hujus oblati pretio captetur benevolentia, ſive pravæ conſuetudinis quærantur comites, ſive urbanitatis hoſpitibus ſociiſve exprimantur ſigna, ubi mutuis oblatis pulviſculis nares infarciri non abnuunt.

Myriades dixi manuum Nicotianæ famulantium. Quæ enim illi non deſtinantur capſulæ & pixides? quâ non formâ & figurâ? audi Satyricum:

Bald. Sat. c. Tab.

Vaſcula propterea ducuntur lævia torno
Pulvereum tereti ſervantia ventre tabacum
Ex ebore ac cedro: variantur forma capacis
Alveoli. Tu rêre librum, diſcumve trochumve,
Erras, non trochus eſt, ſed odora & myſtica pixis
Quam cupis ex omni numero? Nam plurima proſtat.

Lynx,

Lynx, lupus, agna, draco, tygris, vagina, phaselus
Nonne vides crepidam pygmeæ Virginis? una
Una refert ocreas lento ductas argento.
Intus acuta latent calcaria. Sume parumper
Et stimulis asinus validè se sentiet ictum,
Sternutamentis suspensus in ilia crebris
Argutumque caput quatiet, brevibusque micabit
Auriculis, totumque Mydam pertollet in altum.

Quantâ varietate his destinatur materia? Ut de pretiosissimis metallis, cornubus, testis, ostrocodermis nil dicam, spectatur Gratianopoli in Episcopali Gazophylacio Pixis tabacaria ex duobus tantùm conflata Carbunculis, valens 50000 francorum pretio, ut testis est *Besoldus*. Ipse vidi pretiosam ex auro pixidem, triginta facilè Carbunculis majoribus in ambitu fulgentem, cujus operculi area encausto artificiosissimè picta Martis Venerisque notam ex Nasone fabulam ostentabat, næ oculis curiosis periculosam. Taceo jam istas juvenum capsulas, va-

Thes. Pr. Lit. E. No. 2.

variâ cupidinis, aut amatoriæ imaginis cœlaturâ aut picturâ infames, quas vel *Aristidis* vel *Nicophanis* labores putares, ut ita non tantùm puellarum nares, sed & incauti oculi animique injectis quasi stimulis irritentur. Nam & quæ curiosiores sunt, aut etiam prudentiores videri amant, lubentes ejusmodi Emblematum explicationem, & juvenum in pictura votum aure avidâ accipiunt. Tantâ subtilitate texit suos casses cupido. Cavete Virgines insidiosum munus, & pixidem Pandoræ reputate.

Omni ævo fæmina objectum Satyræ fuit, & post sexcentos erit annos semper nova de illâ loquendi suppetente materiâ, cùm omni seculo sui sunt mores & sua vitia. Magna equidem sequioris sexûs, sunt merita, & multa erga illum mihi est devotio, cui domestica est prudentia, cui propria virtus, cui familiaris continentia, quæ vel sine defensore faciunt pro illo Apologiam. Absit hunc lacessere. Non ferient eum, quæ contrà huic penitus dissimilem liberior hìc fortè crena effundet, & nunc graphicè veritatis tamen ac decentis modestiæ ubique ductis lineamentis adumbrabit.

§. V.

§. V.

Mos tabaci puluerem naribus attrahendi etiam ſexui fæmineo hodie uſitatus.

INdigna hæc affectatæ novitatis vanitas etiam tranſiit ad fæminas, quis hic *Maronis* voce non exclamet:

Nulla ferè novitas quâ non & fæmina ſeſe,
Indvat. En illud Varium ac mutabile Dido!

O mira genii muliebris inconſtantia, & magis mira ſi à rectâ ratione deflectat! Etiam acria, amara, ſordida hodie deperit: video, erubeſco dicere,

—— Paſſim poſitoque pudore
Virgineis Tabaci ſordes in naribus hærent. Ad Imit. Ovid. 7. Met.

Video *Flaviam*, Virginem nobilem, *quam juvat nudâ manu captâſſe* naſi pulverem. Ergo non ſatis erat, quod viris Tabaci Hiſpanici lanugine nares ſordeſcerent, &, ut Naſo loquitur, *Barbæ color aureus eſſet?* Etiam ſupererat, ut nares & ora aliàs ſat delicata Sen. in Hipp.

fæminarum Nicotiana fædaret? Prostant exempla, nec adeo odiosa quia nunc passim trivialia. Accersor nuper ad *Galatheam*, Domicellam nobilem, thoro reclinem, qui nec ipsam dedecuisset venerem, dum ad eam Mœchus Lemnius accessit. Conqueritur de Cephalalgia, & à me exigit remedium, quod tam citò prosit, quàm Vulpes Pyrum comest. Sed quis mihi à spectaculo improviso stupor? Cypariſſi hæc de gente Nepotula Nicotianulam identidem Nasulo

Virg. Æneid. L. 7.

Objicit, & noto nares contingit odore.

Remedium quantocyus præscribo privativum, nempe ut hanc sui mali causam actutum removeat. Noluit parere, ne videretur malè egisse. An saltem, si aliàs, hìc rectè & prudenter egerit, judicent ejusdem farinæ, ut dicitur, sociæ. *Multa in bellis inania* vetus habet adagium, & nunquid etiam in formosis, quas bellas appellamus? *manum habere in sinu*, ociosas indicat phrasis batava, an manum continuò habere in pixide, negotiosas indicabit? Nisi quis Negotianam potiùs quàm Necotianam cum *Simone*

Pauli

Pauli velit appellare. Multæ nunc, quod olim unum habebant in malis bonum, perdiderunt verecundiam, laudantes & usurpantes id, ex quo olim erubuissent. Imò illiùs abusu & quidni vitio sæpè gloriantur. Sic nec resurgere quidem adolescentiæ licet, cùm honestus turpi abusui titulus accessit.

Ingredior nuper Arcanius *Faustinæ* cubiculum, omnis elegantiæ & mundi muliebris diversorium, pasturus sedulæ mentis curiositatem, quod in more habeo subiens Virorum Principum domos. In conspectum mox venit ex Ebeno tabulatum (*toilette* appellant.) variis luxûs spoliis aureis gemmeisque dives, in quo ex margaritiferâ conchâ, & polito pecudis indicæ dente pixides elegantiæ exquisitissimæ, & inter illas capsulam offendo singulari artificio & testudine fabrefactam, aureâque fimbriâ ambitiosè cinctam, qui, quidem non vulgaris cortex rariorem medullam pollicebatur. Aperio liberius incautiori dexterâ; in faciem involat Nicotianæ Hispanicæ subtilissimum Alcohol. Cerno ex jaspide cor fictum: interiora scrutaturus recludo. Invenio *coup de bois*. Ubi mox mihi in memoriam venit illud Romani morum

Conſ. ad Marciam. magiſtri: *Naturam malignè cum muliebribus ingeniis egiſſe, & virtutes illarum in arctum retraxiſſe.* Sapiens hìc virtutem appellat *pulverulentam*, qualem & *Fauſtinæ* dixeris. Mulieribus Romanis olim ſui erant cinerarii, ſeu ciniflores, id eſt ſervi coſmetici apparitores pulverum pro colorandis crinibus. Nunquid & hodie pluribus opus eſt fabricatore pulverum, quibus ſibi quaſi barbulas ſub Naſo fingant. Forſitan ſe iis in meliorem ſortem aſſertas arbitrantes? ô quantus cachinnus tollendus eſt ad harum ſpectaculum? Certè non minor illo, quem in Theatro Italico Phœnix extulit, dum quandam hujuſce tribûs ſociam in medium protractam acuto dente ſic laceſſit. *Le fait de ſon merite conſiſte à Sçavoir remplacer par d'amples Sillons de Tabac d'Eſpagne la mouſtache que la nature prudente luy a refuſée.* Id eſt actiones meriti illiùs in eo conſiſtunt, quod ſciat largis Tabaci Hiſpanici ſtriis ſibi ponere miſtacem, quem prudens natura illi negavit. De pluribus hodie fæminis licet illud Juvenalis repetere. *Præterea multa in facie deformia.* Quid enim? & fucum videas cretatum, & atratas muſcarum, ut vocant, umbras.

L. d. Vitbeat. c. 7.

Th. Ital. Gerh. Tom. 3.

Et

Et quid nunc? etiam Nasum tabaco attritum, & mediis in naribus ingentem ejus cumulum, & semper stillantes nares, & sub his barbulam. O faciem dignam *Mœvia!*

Aristi filiola pusa quantilla est? Tamen & tabaco jam fricat nares tenellas, interdum eas rursum peniculo seu spongiolâ abstergens. Nil mirum. Matris trahitur exemplo, id aliquando largiori pollice intrusura. Nempè non aliter cum tabaco ac cum vino se res habet. Eleganter Vates:

—— Fugiente primùm
Vina quæ libat modicè labello,
Major ad trullam veteris sedebit
Spongia Bacchi.

Bald. Sylv. L. 3. Od. 4.

Ita filiarum finguntur nares, concinnatur ingenium, formantur mores ad matris exemplum. Seculi nostri Alemannides audire amant *Al'modissæ*, quid ni & earum filiæ? Grandis & novus mos est frequens Naso offerre poppysma. Hoc fœminas decere putant & puellas. Audi ut cantillent:

La grande mode de Tabac a prise par tout sa place,

On prend aujourd'huy tabac de bonne grace.
Et des qu'en Compagnie un Monſieur le veut rendre,
De ſon côté la dame eſt prête de le prendre.
Chacun trouve en tabac de quoi ſe ſatisfaire,
Sa menue poudre a le ſecret de plaire.
Les filles le trouvent auſſi bien agreable & doux,
Comme s'il étoit d'un plus exquis ragouts.
C'eſt le gouſt general; les fous & les ſages
Même ſont enfin tombés dans ſon uſage.
Tous les hommes ont l'appetit & l'art de le prendre,
Et les femmes mêmes n'ont pas celui de ſe deffendre.

Quod pro iis, qui hoc idioma, haud callent, ſic liceat reddere:

Mos grandis tabacum prenſandi regnat ubique,
His hodie foliis gratia magna viget.
Hæc modò præſentet juvenis libamina Naſi,
Quo capiat promptâ fæmina præſto manu eſt.

Quo

Quo ſibi quiſque ſatisfaciat, tenet herba tabacum,
Quo placeat minimus, credite, pulvis habet.
Virgineos tali recreat dulcedine Naſos,
Nòn aliter quàm ſi ſummus ineſſet odor.
Guſtus ubique idem eſt. Tandem ſapientibus æquè
Ac fatuis uſu perplacet ille ſuo.
Prenſandi tenet omnis homo Picamque modumque,
Fæmina quin captet nec moderamen habet.

Verùm enim verò ſi omnibus benè ſapiat oleatque tabacum, lubenter fateor me non habere ſenſum communem. Cantillent ut volent, ſurdaſter ſum. Audi ut de illis viciſſim graviori ſono canat prædictus Vates:

Virginum multæ ſibi nomen aptant,
Virginum mores aliis relinquunt,
Uberis ſexûs quota ſe fatetur
Teutone natam?
Teutonum fortes properate retro
Nam retro virtus veterumque fama
Ceſſit, & morum tenues in auras
Gloria fugit.

Sed

Sed quid mirum? Alemannides variæ lunæ fæminæ, & aliarum nationum ſimiolæ rerum gaudent novitate. Invenias in Germaniâ Gallo- & Italo-Germanas. Invenias, quibus jam Teutonum ſermo diſpliceat, jam habitus, jam inſeſſus. Optarent ſe molles pedibus referre Iones, & pictis cuperent ire cothurnis. Scilicet peregrinarum gentium mores & veſtes & ſimul vitia induimus, quaſi degeneres à majoribus eſſe non poſſemus, niſi & addidiſſemus hanc celeberrimæ mixturam dementiæ, ut ora & Naſos exoticâ herbâ & barbaro ritu paſceremus.

Sed hem! quænam illa *rubicundula totum Oenophorum ſitiens?* Oenopolæ uxor eſt. Sed num & petum olet? Certiſſimè. Aſt quale? Profectò ferinum. Aliter enim longè catuli olent, aliter ſues, ut eſt in proverbio.

Ad imit. Juvenal. Sat. 6. l. 2.

Quis non fætentis videt atra ergaſtula Naſi,
Quem fricat aſſiduis digitis tabacoque laceſſit?
Atque omnes implet numeros, digniſſima prorſus
Florali matrona tubâ, niſi ——
Quem præſtare poteſt mulier tabacata pudorem,

Quæ

Quæ fugit à ſexu? Tabaci nam quanta voluptas?
Quale decus rerum?

Hæc quid Naſo ſuo prætexat, neſcio. Prædictas verò tum naſcendi ſors, tum maritorum aut parentum dignitas à plebis conditione removit, ut ſibi ſuperbis, nobilibus, locupletibus aliquid putent deberi prærogativæ, quâ à civium fæminis & filiabus diſtinguantur, hanc in tabaco quærentes gloriolam. Quibus tamen etiam reſponſo infra ſatisfiet. Hoc verò cui non bilem aut potiùs ſplenem moveat, quod etiam ſexus proletarius in tabaci pulviſculis ponat gratiæ aucupium. Præmemoratus vates Satyræ non minus ſale mordaci quàm faceto acutiſſimus integrum talium manipulum in medium adducit his nominibus: L. c. §. 23.

Quod ſtupeas nullo teneri diſcrimine ſexûs,
Sumitur hæc crambe. Sumit Chriſtilla Trebati,
Sumit Barſennæ Laurentia, ſumit Aſella.
Sumunt Fabullæ ſoror utraque, & utraque neptis.

Mer-

Mergissæ. Sumit Catharinæ filia Calpæ,
Sumunt Teucheriæ nurus, & Crescentia textrix,
Claraque & agneti Blonchæ Vicina Mirisca,
Quæque forum semper raphanis Cessennia replet.
Et Mycale lotrix & Petronella.——'

Egregia hercle tribus, etiam de fœce populi, quam plena atomis tabacinis toreumata olim delectabant. Sed hæ Bojugenæ erant, à Saxoniæ nostræ Westphaliæ Bataviæque oris remotæ. Licet haud difficile negotium sit etiam in hisce longè majorem hodie conscribere exercitum illarum ex trivio, quæ Tabaco vel accenso vel pulverisato deliciantur. Una duntaxat hìc nobis pro exemplo sufficiet, nè plurium recensione nauseam delicato lectori excitemus.

Lippa *Philenis* ex illarum est numero, quæ istos vanitatis turritos apices ex capitis fastigiato ornatu gloriam accupanti sexui novâ quasi professione erigunt. (Netrice certò haud digniorem æstimaveris.) Huic & sua semper comes est pixis, sed mystica. Non enim acus continet aut artis netricis

Instru-

Instrumenta, sed tabaci atrati pulverem. Quo stagna in naribus fœtentia identidem excitat. O grande sexûs propudium! *Isthoc mulieris Naso non lutum est lutulentius.* Bene dixit olim sapiens, nunquam melius olere fæminam, quàm cum non olet. Hodie plures quid olent? Non de messe sabæa, quod fortè minus foret reprehendendum, collectas segetes, non

Plaut. in Pæn. Act. 1. Sc. 1.

Quod myrtus, quod messor arabs, quod succina trita
Pallidus Eoo thure quod ignis olet.

Mart. l. 3. E. 65.

Sed tabaci verè ferinum odorem; potius dignum Adelphasio, *quæ olet stabulum, statumque & tellam & sessibulum merum*, quàm honestæ indolis & educationis fæminâ & puellâ. Fugite hinc vos delicatæ nares, ne fœtens mulierculæ anima vos exanimet. Quæ nares continuò tabaco nutrit aut etiam os fumo, non magis bene olere potest, quàm quæ in culina habitat.

Pl. l. c. Sc. 2.

Collige sarcinulas dicit libertus, & exi,
Jam gravis es nobis, & sæpè emungeris, exi
Ocyus & propera: sicco venit altera naso.

Juvenal. Sat. 6. l. 2.

Phi-

Phileni tamen ſuus eſt prætextus. Lippientis oculi cupit exacui obtuſam aciem à Naſo Medicaſtro. Sed & hìc immane fætet. hinc abeamus.

Ingenioſior ſanè eſt *Liſandra*, cujus nuper in *Neotheâ* quoque memini. Hæc ut Virginis longè prudentioris & delicatioris ſubeat ſpeciem, ſuâ in pixide, cui lemma *mixtus odore decor*, variegatam ex florum pulvere aſſervat miſcellam. Florilega eſt, & ipſamet ſibi hunc ex delicatæ Floræ Sylvâ collectat pulverem. Sed & hìc ſagacis Naſi luſus eſt. Non enim tam tabaci iſthæc fucato colore quàm odore delectatur, & cujuſcumque promiſcuè naſalis Alcool, ſi quod ipſi offerunt Adonides, gratioſaeſt captatrix. Nempè iſte ſexus ubique larvas amat. Utinam magnæ virgines, ſi virgines, æmularentur iſtam *Iſabellam* Scenicam in Theatro Italico. Rogat hanc *Columbina*. *Prenés vous du tabac quelquefois? j'en ay, qui fait honte à l'ambre.* Id eſt, nunquid aliquando capis tabacum? Habeo, quod cum ipſâ ambrâ odore certet. Cui illa: *Quelle groſſiereté! du tabac à des femmes!* Qualis ſtupiditas! etiam tabacum fæminis! Excuſat ſe columbina hoc reſponſo confuſa. *C'eſt pour vous montrer*,

Th. Ital. tom. 1. p. 390.

trer, que je n'ay point de reserve avec vous. Egregius sanè prætextus, non est hoc ait nisi ut demonstrem, nil esse quod mihi reservem. Ità neminem facilè videris Picâ Nasi infatuatum, qui non orexis suæ causam noverit speciosè prætendere, quod non ingratum erit hìc patefacere.

§. VI.

Pulveris Tabaco-Nasalis capiendi varii prætextus.

SIc est. Vel ipsi hodie Viri Principes ac Domini naribus non imperant. Promiscuè omnes hæc tangit urtica. Videamus igitur, quos dapsilis hæc narium sagina prætextus habeat.

Physignato Hypochondriacorum antesignano, tabaco nunquam satur est nasus. Crepat sibi hoc pulvere dissipari atras cerebelli fuligines, dispelli melancholiæ nebulas, & capiti conciliari sudum. O miseram capitis conditionem, quod talibus scopis indiget! Sed Amice ad Anticyras. Ex hisce forsitan promptior erit medela. Interim tibi ceu non medico libenter

hunc errorem condonamus, nam & *dulce est desipere in loco*, ut ait Horatius. Modò brevis sit stultitia.

4. Ca. O. 12.

Rinarchus Mercator prædives tabaci utilitatem jactitat, quòd loco antliæ sibi serviat nasus insignior hoc subdito stimulo ad deplendos ex encephalo Catharros, quos ex vapore debilioris stomachi sursum elato genitos in pectus depluere, & phtiseos metum sibi incutere conqueritur. Verùm apage *nugas meras*. Antiqua hæc Catharri Stomachico-Cephalici deliramenta, dudum monente, hancque fictitiam Catharrorum genesin demonstrante Helmontio prudentiores exploserunt.

Petemius Vir Patritius, cui identidem *sordidas nasus vomit ore fœces plenus amurcâ*, gloriatur se tabacini pulvisculi beneficio redditum esse lyncem, qui antea fuerat per diem noctua. O nobilem oculis cotem Nicotianum! Elenchus causæ non causæ plures Naso ducit. Quam ex abusu tabaci moram contraxerint plurium oculi, infra ostendetur.

Matho Causidicus *æqui in paucis petique tenax* est. Ecce ut manus illa, manus tot litium promoconda continuò sese motitet, & tremulo feriat in-

indice nasum. Hesperiis Atomis plenam indies evacuat pixidem. Sic enim sibi arbitratur subtiliari spiritus ad perspiciendos Juris vix visibiles apices, quò dexterius cereum legibus nasum, ceu dicitur possit effingere.

Phatasius vix interpolatâ tabaci nasinsertione ingenii quoque sibi aciem credit intendi, & cum Arlequinio dicit aut saltem sibi imaginatur. *Je suis, je suis la Quintessence des Academiciens, des Peripateticiens, des Stoïciens, des Pyrrhoniens, des Platoniciens, des Electiques. J'ay une tabatiere, qui est pleine de l'esprit de tous les grands Philosophes mis en poudre, comme de Thales, d'Anaximandre, d'Hypocrates, d'Anaxagore, de Telesius, d'Archelaus, de Carneades, de Lucrece.* Id est: Sum, imo sum quinta Essentia Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Pyrrhonensium, Platonicorum, Electicorum. Pixidem possideo tabacariam plenam spiritu omnium magnorum Philosophorum redacto in pulverem, nempe Thalis, Anaximandri, Hippocratis, Anaxagoræ, Telesii, Archelai, Carneadis, Lucretii. Sed nugæ! quisquis amat, sibi somnia fingit.

Gerhard. Th. Ital. tom. 2. p. 528.

Nonne hìc ſplene opus eſt ſaliente & naribus uncis,
Et Helle- Stultorum- boro?

Gaſtrimargus inveteratâ conſuetudine hanc ſibi ait contractam alteram naturam, quæ ſubſiſtere nequeat, niſi quotidiano hoc ſuſtentata narium alimento. *Eſt* inquit *naſus atrox, illius œſtro ſi quatior, non datur impari contra tendere tantum naſi vorticis impetum. Nuper ſemel flagranti nare abſtiti, ſed totum corpus occupavit languor, donec aſſuetæ naſus redderetur auræ.* Egregius prætextus!

Petronius juvenis, ut videatur eſſe juxta Phraſin gallicam *du bel air & galant homme.* Quod quid ſit, ne ipſe Cicero propriè verbis tam conciſis dixerit, tabacchieram continuò verſat reverſatque manibus, ut oblato ex illâ pulviſculi munuſculo à puellis vel Gelaſinum vel oculi videntis nictum venetur. O ingenioſum gratiarum aucupium! Verùm dicam ego, quæ iſtius pulveris hodie abuſus ſubſit apud plurimos juvenes ratio, tametſi fortaſſe eam ſibi ita publicè nolint ſervire pro prætextu.

Obſ. c. 100, Narrat *Benivenius* Philippum quendam

dam ſuum amicum vermem palmam manûs magnitudine referentem nare emiſiſſe, qualem quoque puella apud *Hollerium* emunctione ejecit. Alteri apud *Foreſtum* Vermis Curculioni ſimilis duram matrem obſederat, pro ut perforato & aperto cranio eſt repertus. Innumeri porrò Medici & inter illos in primis *Bartholinus*, *Tulpius*, *Kerckringius*, *Fabritius*, *Hildanus* fidem faciunt in cerebro poſſe generari vermes. Peritiſſimus Anatomicus Antonius Nuckius etiam vermem in ſpongioſo narium oſſe deliteſcentem oſtendit *Stalpartio*. Ita & vermis eſt homo & ipſe verminat. Profectò quibus identidem nares in tabaci pulverem pruriunt, niſi vermem in cerebro aut naſo phyſicum habeant, (: nam & Naſi pruritus in infantibus vermium ſeu lumbricorum ſolet eſſe certum indicium :) Saltem habent moralem. Utinam hunc tandem emungerent? ſed quid dicemus? Etiam ad ipſos medicos ſerpſit hæc contagio. Vera queror. *Narimannus* Poliater, quem ſanioris diætæ præambulum jubet eſſe Hippocrates, non tantùm ſtrenuus fumipota eſt, ſed & inceſſanter tabaci pulvere nares defricat, ſcilicet ne fætida ægro-

L. 1. de Int. Off. Schol. C. 54.
L. 9. d. Rar. Cap. Dol. Sch. Obſ. 4.
Obſ. Rar. XIII. Cent. 1. p. m. 64.

tantium anima eas oppugnet. Bonum factum, nisi & à Clinicis remotus identidem citra necessitatem hoc caperet prophytacticum.

Turpe est, Doctorem cum culpa redarguit ipsum.

Verùm quis tandem ô fæmina tuo sexui in peti quoque delicias impetus? Quis in id nimium quantum hodie
Sat. 6. l. 2. prurienti prætextus? Hìc certè rursum exclamaret Juvenalis:

Dic aliquem sodes hìc Quintiliane colorem,
Hæremus: dic ipsa.

Etiam hoc deerat vultui ô novitatis Amasiæ, quem variis muscarum insectorumque larvulis interstinguitis, ut squallentem lanuginem naso subderetis? Quid tibi formosula, tenella, comphila, tota de pixide *Animthe* negotii cum capsula tabacaria, quam ubique ducis comitem? Non est ornamentum modestæ virginis hæc scatula. Non nasi nobilis decus hìc puluis. Si Catullus te hodie videret, repeteret subsannans illud suum: *Illa turpicolor puella*

puella naso. Quid ad te fætens nasus? potius tuæ formæ elegantiæ convenit,

Nasus Arabs, nasusque Cilix, nasusque Sabæus. Bald. Sylv. L. IX. Od. 20.

Sed ecce jam intumescit *Aminthe* facies perfusa rubore. An iste pudor est, an ex bile jam irâ bulliente genis suffusus color? Sed hem! Rumpit silentium impatientia, & garrulam ira facit eloquentem. Quid? tune ait, in mundo hospes es, ut qui sit seculi moderni genius, qui mores, cum ignorantissimis nescias? Non diffiteor, mos iste novus est. Sed hìc nostri sexûs idolum est, cui litandum. Universum aulæ nostræ Gynæceum suas habet tabaci pixides vel ego sola illâ caream? Tu non videris legisse Tacitum, qui in convenientissimum sexui nostro idioma operâ Ablancourii translatus ait: *Voilà ou je trouve la revolution des mœurs, qui ont leurs saisons comme les années.*

Obstupui puellæ nasutissimæ inexspectatum responsum. Ita est inquam novi verba Taciti quæ sic habent. *Rebus cunctis inest quidam orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum*

vertantur. Sed replico tibi ex eodem Tiberii verbis: *Il n'apartient point aux femmes, de se mêler des affaires des hommes*. Non pertinet ad fæminas miscere se negotiis virorum. Novitas sui causâ amanda non est, nisi forsitan ea sit, quam vel necessitas imperat, vel sacram facit ratamque utilitas, quibus duntaxat honestari potest. Concesserim Tabaci fumationem, & nasin sertionem esse ad seculi gustum, saltem in maribus; non tamen est ad sobrietatem & decorem sexûs muliebris. Dic *Aminthe* commoda, quæ inde captas? Utilem judicas? Sed *facilis est fæminarum credulitas ad gaudia*; idem inquit Tacitus. Quod linguâ tibi sic gratâ reddit Amelotius: *Les femmes sont faciles à croire ce qui flate leurs desirs*. Num quid fædius esse potest, quàm

Disc. Polit. Tiber. Ch. 14.

— *Pulvis ubi naso propellitur ater*
Deciduusque cadit, labrisque nitentibus instat?

Quod ut intelligas sic habet:

Qui est plus laide, que quand du tabac ferine,

Que

Que vous avés tiré, rechoit de vos narines,
Et gâte en vos levres les fleurissantes roses?
Fuyés ma belle fuyés ces tres-puantes choses.

Sed illa mihi: *Je sçais, que je suis du goût d'aujourd'huy pour être fille du bel air. Il faut prendre du tabac comme un circonstance de bien-seance & reputation. J'aime être tout à fait à la mode.* Scio me habere seculi moderni gustum, ut ad illius sim accommodata genium. Necessum est prensare tabacum ceu circumstantiam decoris & reputationis. Tota quanta sum cupio novo mori esse conformis. His dictis impotenti animo furere *Aminthe*, convitiari, clamare, ut quæ in vicino aderat cubiculo mater, anhela accurreret, visura quid corculo suo accidisset. Ego plus esse periculi sciens, lacessere anum, *quâ nihil nasutius maligniusque*, quàm canem, ut dicit Menander, intellexi acrius factam reprehensionem, & plurimam ex herbæ nasalis usu apprecatus salutem quantocyus discessi. Et sic finita est hæc Comædia. Edepol vetulæ huic quadrabat illud Plautinum:

Curcul. Act. 1. Sc. 2. Bald. l. 5. Sylv. Od. 18.

Canem esse hanc quidem magis par fuit: Sagax nasum habet. Filiæ autem petigerulæ illud Vatis:

Non habet nullum mea polla nasum,
Sed nimis magnum, nimis eruditum,
Ferre quem totum neget ipse, qui fert
Maurus olympum.

Retuli hunc casum inter adversaria, addito hoc Epigrammate:

Os patris, matris nasum te dicit habere
Quilibet, & matri par similisque patri.
Nec mentitur in hoc. Tabacum bibit ille, bibisque:
Nare trahit tabacum hæc, tu quoque nare trahis.

Filiæ plerumque matres referunt masutas, & si hæ sint Thee-Caffee-Tabaco bibulæ, in illis frustra horum quæsiveris abstinentiam.

Juven. Sat. 6. L. 2.

Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
Atque alios mores quàm quos habet? Utile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Lon-

Longè humanius prudentiusque nuper mihi *Nesilla*. Nata sum, inquit, sub influentiâ lunari, ideoqne gravata semper rheumatismis, catharris & defluxionibus pectoris. Doctor *Gracianus* me illis nequit liberare pilulis & clysteri bus, etiam decies repetitis. Doctor *Nicotius* verò ordinavit Naso suppositoria, ex cerebro certo certiùs evacuatura pituitam. En elegantia tabaci granula olei ut vocant cedrini suavitate tincta, quæ jussit sedulâ nare sorbere. Et Nasus sanè capiti proximior est quàm anus, multoque commodius per vias breves evacuantur phlegmata, quàm per anfractus longissimos. Arguta sanè fæmina, similis illi rustico, qui in dolore capitis gutturi inferiori præscriptum à Medico enema per superius hausit, ut per viæ compendium ad caput ascenderet. Sic utilitas & tabaci fumis & nasali pulveri prætexitur. Sub larvâ commodi ludit & illudit Nicotiana. Sicut autem fictus amicus plus fovet periculi, quàm hostis apertus, ita cum salutem promovere videtur, tantò pejus nocet, quantò minùs nocere noscitur. Res, quæ commodi specie proximæ sunt utilibus, præ cæteris magis sunt cavendæ.

Tan-

Tandem adhuc quid aliud exſpectat à Tabaco naſali *Vanella*, bonæ fortunæ indies vota faciens, non aliter ac illa Signora Iſabella in Theatro Italico quæ bene compta, & eleganti pixide Tabacinâ inſtructa, ſortis ridentis neſcio quem favorem præſtolabatur, quam tamen Arlequinius ſic Naſo ſuſpendit adunco. *Ce n'eſt mardy point avec un peigne, ny avec un tabatiere, qu'on par vient en ce pais la. Il y faut de cela.* Digito ſimul feriebat frontem, volens indicare, quòd non naſus pulvere turgidus Hiſpanico, non ſternutamentis probè emunctæ nares, non pexa elegans & cincinnata Cæſaries merita hodie tribuant, ſed id quod ſub fronte clauditur; nempe ſtudiis & acquiſitâ rerum ſcientiâ excultum cerebrum. Fallitur quiſquis ex toliis peticis mage quàm librariis parari putat pulverem bonæ reputationis. Licet per pixides ſuas identidem oblatas neſcio quod punctum honoris & gratiæ apud formoſum ſexum aucupetur ſtolida juventus, ridiculæ vanitatis non obſcuro argumento.

Gerhard. Tom. I. Columbin. Avoc.

Hi igitur ſunt communiores prætextus, quos Nicotianæ abuſui obtendunt amatores. Plures reſtant, quos

in

in ſequentibus quoque adducemus. Et licet cuiuſlibet prætextûs unicum duntaxat dederimus exemplum, tot tamen ejus proſtant, ut negotium æquè difficile ſit, omnium hodie intabaccatorum, quàm de æſtate muſcarum, numerum inire.

§. VII.

Pulveris tabacini inordinatus ac intempeſtivus uſus.

NOn immoderatus tantum, ſed & inordinatus ac intempeſtivus uſus rei etiam optimæ utilitatem vitiat. Temporis quidem modus extraneum quid eſt, addit tamen vel detrahit rerum naturali aut morali bonitati. Sit utile, ſit honeſtum, decenſque naribus quandoque tabaco gratificari, certè tamen non caret vitio, neque excuſationem admitit ejus omni vel inportuno tempore ſat malè morata uſurpatio. Exemplis rurſum patebit veritas.

Noui illuſtrem *Snaufenburgii* Dynaſtam, cujus naſus aquilinus per diem nulli vacat patientiæ, & ne per horulæ quidem quadrantem pixidi clauſæ concedit inducias, quin ab eâ depoſcat tributum, quod officioſa manus etiam non

non reflectenti Domino exſolvit. *Nempe hæc aſſiduè:* inquit Perſius. Tranſeat hoc cum cœteris ejuſdem enormibus Diætæ erratis. Verùm quem dabit prætextum, quod etiam noctu individuam lecti contubernalem faciat Nicotianam, & (ne crede figmentum) Ex pendulâ de collo pixide per non rara ſomni & pervigiliorum intervalla eruditis naribus hauriat? ô viliſſimam naſi ſervitutem in Domino! ô inexplebilem Picam in Viro! Naſus aquilinus ſapientiæ nota eſt, ceu hedera bonæ mentis à naturâ ſuſpenſa, inquit Dornhavius. Naſus Nicotianæ rapax aquilinus eſt, ſed dubites an ſapientiæ indicium.

Novi quoque illuſtrem Weſtphaliæ noſtratis Domicellam, ut puto virginem (quamvis prædicatum hoc Germanico idiomate illi non auſim dare:) quæ & tabaci pixidem quot noctibus thalami ſociam ſe habere ultro quaſi ad captandam gloriolam mihi faſſa eſt, nempè *& dici cupit & cupit videri*, ut ait Martialis. Quis non cum Juvenali dixerit & iſtum Dominum & hanc Domicellam, pluresque ejus commatis alios *Vigilanti ſtertere Naſo?* Illi quidem dormitant, naſus autem vigilat. Quis

eam

eam nasi humani sagacitatem suspicatus, fuisset; nisi Nicotiana hodie detexisset? Sextum nunc igitur sensum quis jure intra Narium septa collocârit. Quid autem de pessimâ hâc consuetudine sit statuendum, audi Excellentissimi *Magneri* Burgundi Luxoviensis Patritii, Philosophi Medici, & in celeberrimâ Ticinensi Universitate Regii Medicinæ Professoris sententiam. *Noxius est*, inquit, *usus statim à cibo, aut dum noctu cubitum itur, ob attractum à ventriculo excrementum, motosque sursum ad caput humores, qui potius deorsum essent cogendi.* Exerc. de Tabac. 8. §. 5. Reg. 7.

Stemmatis sui, & si Dii volent, statûs Ecclesiastici futurus honor *Monsieur de Court-Nez* magnam ni fallor in templis præsefert devotionem, si fides habenda libello, quem è manibus nunquam deponit. Et quis dubitet? Verùm fallimur. Liber est, sed sine devotionis animâ, pixis nempe tabacaria in formam libri elaborata, cujus alveolus istos continet nasi stimulos, quos ante retroque inter assidentes socios etiam sacerdote ad aram operante, aut dicente ex cathedra, non unâ vice distribuit, more hodie libero, nec prô dolor turpi, quia passim communi. Sternuitur ita per vices, acclamatur & vel à remotis

motis adnuitur ſalus. O arguta capita tot quaſſata ſternutamentis! Verùm ubi loci reverentia? Ubi Numinis præſentis recordatio? ô impudentem rerum etiam divinarum deſpectorem naſum!

Sub ſeculi prioris decimi ſexti initium ſimilis mos apud Hiſpaniæ Sacerdotes invaluerat, ut ipſo ſub ſacrificio & ſacræ Synaxeos adminiſtratione naſali pulvere uti haud turpe cenſerent. Peſſima conſuetudo ſic invaluerat, ut jam videretur major remedio. Quocirca Decanus & Capitulum Cathedrale Sevilienſe coactum fuit Vaticani Principis Urbani VIII. Opem inſtanter implorare, qui æquiſſimæ petitioni non lentè deferens, emiſſis literis Apoſtolicis omnes, quotquot impoſterum per Hiſpaniam in templis tabaco ſternutatorio uterentur, ſacro fulmine feriit. Proficiat hoc tibi Naſe Romanum Naſturtium. Et certè bonum factum. Utinam idem hoc quod gentem Heſperiæ naſutiſſimam, etiam Germanorum hodie ſat naſutam fulmen tangeret! Cœteroquin nullo tollenda erit remedio hæc narium Ozæna verè Cacoëthica, niſi, quod tamen abſit à Chiſtianâ Republicâ, lex ſeverior,

ceu

ceu illa Russorum Imperatoris erat anno 1634. lata, eam constringeret. Refert Olearius Scriptor omni exceptione major, secundum hanc tabacicolas virgis cœsos, stigmate notatos, imo alas nasi iis dissectas fuisse. Subjungit Persæ *Schach Abbas* exemplum, qui ob violatum tabaci interdictum militi & nasum & labia præscindi jusserit, venditore unà cum tabaco flammis addicto. Ita vel ipsis Barbaris displicuit pravæ istius consuetudinis noxa & fœditas. Sicuti quoque *Amurathes* IV. Turcarum tyrannus usum tabaci Mahometanis sub pœnâ capitis prohibuit. O os & nase picantia, in quæ conjicitis pericula mortales! Si nunc hæc lex in tabaco, quæ olim tempore Friderici I. imperatoris, esset posita

Qui reus extiterit, spoliis nudatus abibit,
Turpiter & naso mutilabitur ille resecto

Gunther. l. 7. vers. 282.

Quot hodie Nasutorum gnomone suo spoliati contortis & extuberantibus prudentiorum naribus ludibrium deberent? Quamvis & hoc fortassis nè

dem plures ab ejus usu retraheret. *Carinus* enim, cui à luis venereæ carcinomate erosus, & tantum non dimidiatus est nasus, adhuc ejus rudera farcit tabaco. Retuli casum ad Adversaria cum sequenti Epigrammate:

Læsis naribus usque ad ossa frontis,
Paucas Relliquias habet Carinus,
Et prurit tamen usque ad ossa frontis.
ô quantâ scabie miser laborat!
Nasum non habet & capit tabacum.

Hic igitur vix habet nasum. Scribit autem *Borellus* compilator si quis alius observationum Medico-physicarum curiosissimus, apud Normannos vixisse fabrum lignarium cui duplex fuerit nasus, & proin condictum fuisse *Mauritium duorum nasorum*, *Sieur de Deux nez*. Hic hercule magnum habuerit à natura beneficium captandi pulveris tabacini, quod satis est. Crediderim hodie non deesse, qui eosdem, nisi decori vultûs obstarent, aut si saltem ita mos novus ferret, sibi optarent, ut ex Nicotianæ cornucopia largiori manu & quadruplicatis naribus hanc captare possent Ambrosiam. Quid enim? nunquid defectum hunc alio resarciunt

stra-

ſtratagemate? In naribus ſtratum ſuper ſtratum collocant, ut loquuntur chymici. Jam ex pixide propriâ capiunt tabacum Hiſpanicum, mox ex alienâ *coup de bois*, paulò poſt alio offerente illud quod *de Communi* vocant. Omnia ſucceſſivè naſo intrudunt. Nunquid de his dici poteſt, quod habeant juxta phraſin gallicam, *un nez de triple étage*, triplicis contignationis naſum, quas ſingulas peculiaris occupat Nicotianæ pulvis?

Nullum itaque diei aut noctis tempus excuſat à ſumptione tabaci, neque etiam ullum anni. Naſum enim & æſtuantem farciunt & algentem. Non ſatis eſt in lecto, in templo, in foro & plateis, inter pocula indulgere narium appetitui. Etiam in menſa, dum os & dentes & Oeſophagus & ſtomachus laborant, & neceſſario primæ digeſtionis muneri vacant, pixis locatur tabacaria, ejuſque pulviſculus veluti condimentum & bellariorum omnium longè maximum non ſemel carpitur. Oculos meos fidemque teſtor, id non rarò etiam apud Viros Principes, ſapientes ac prudentes me vidiſſe. Quod nemo ſanè niſi obæſâ aut Bœoticâ nare Medicus probaverit ſanitati conduce-

re, nisi fortassis in nonnullis, quibus longâ consuetudine inductus callus aut sternuendi metum removit, aut vasa excretoria penitus obstruxit. Aliàs enim quid petipetarum stillantibus naribus ineptius? Quid immoderatâ lymphâ fluentium stillicidiis incivilius, unam eandemque in fæditatem tabaci pulvere liquidisque concurrentibus, & infamibus quandoque quadram usque dependentibus stiriis? Sed pransum & cœnatum est sat lautè & largiter. Repletus est stomachus: lassatæ sunt maxillæ. Solius tabaci etiam post epulas manet fames, & saburrato ventre adhuc jejunus & avidus est nasus. Inexplebilis hæc Pica est, insatiabilis orexis.

§. VIII.

Immensa pulveris tabacini dispendia.

RArò moderatus rerum est usus, ubi eæ incipiunt facessere in abusum, quem in plurimis meritò obstupescas. Nempe quia nulla est peregrina stoliditas, cui Germania se mancipare non sit facilis. Duo inprimis pulveres in usum deducti, mox in enormem abiêre abu-

abusum. Alter est Cyprius ille, quem per eminentiam Galli *poudre*, pulverem, appellant, qui non sine ingenti Reip. damno, (ut solertissimus Academiæ Leopoldinæ *Oribasius* rationes iniit:) ex optimo tritici flore confectus & adscititiis comis insperſus verè dispergitur, atque in terram prolapsus pedibus proculcatur. Cui id hodie quoque contingit fatum, ut non in aulis, divitumque palatiis tantùm hospitetur, sed ne viles quidem Operariorum domos prætereat. Quis enim non amat etiam nuper admodum Ephebus mento simiarum in modum glabro, niveis ab hoc pulvere comis eminus silicernia mentiri? Ut taceam eum non modo domicellarum seu proprios seu fictos capillos gravare, sed nec olidarum Coquarum & Vaccimulgarum frontes præterire. Hæc sors est primi pulveris.

In Eteodr. Med. Pr.

Alterius tabacini non multò est felicior. Sive enim in particulas grossiores concisus fistulis destinetur, sive in subtilissimas atomos divisus naribus utrobique perditur & dispergitur. Accensus in fumos abit & cineres, egregio vanitatis schemate. Naribus vix attractus ad suprema labia barbamque

recidit perditioni jam destinatus. Nempe

Multa cadunt inter nasum supremaque labra.

Phrynellæ nuper insignis ejus ex naribus relapsa portio inter sororiantes colliculos (spectaculum risu dignum) obhærescebat, & pectorale quoque ut vocant, conspergebat. Qui nares amant magis tersas, motu narium efflatorio eundem aut in terram, aut si fortuna volet, in strophiolum excutiunt, nulli amplius usui futurum. Nisi quis fortasse ut *Osiander* Duci *Megalandro* à cubiculis (hic tabaci pulverem è Domini strophiolis indies mane magnâ copiâ excussum exsiccatumque militibus rursum vendit.) eundem ex suis excipulis velit repetere eâdem viâ remittendum. Sed apage te fæditas ad Lixas & Calones.

O quot Tabacchieris inscribi posset lemma: *in parvo magna* scilicet dispendia! Id quod amplius dilucescit in fistulis eidem Nicotianæ distinatis. Liceat easdem juxta Apuleium describere: quod sit *vasculum quoddam in vicem colli graciliter fistulatum.* Sed prô quàm immensæ per collulum hoc gra-

gracile profunduntur opes! Fistula tabacina *herbas convectat calle angusto*, & consumit, sed eodem ducit largissimas impensas. Sequitur fumus Virg. 4. Æn.

Tenuis quà semita ducit
Angustæque ferunt fauces. Idem. 11. Æn.

Quod eleganter ad propositum suâ vernaculâ exprimit Larvæ mundanæ autor:

Al is het gaatje van de keel
Al is het kleyn, noch kost het veel.

Refert Klockius in Anglia reperiri generosos juvenes tabaccophilos, qui in expensi codicem quotannis referre solent Tabaci pretium *argenti uncias* MDC. O os hominis quam parvus tibi est isthmus, sed quàm profunda devorans Charybdis! ô Nase quantilla tua sunt foramina, quàm brevi spacio ac termino circumscripta, & tamen quantæ Voragines! Ille apud *Magnenum* Nasus indies consumebat tabaci optimi tres uncias. Prædictus Chyliarcha *Megelander* quot septimanis libram herculeis naribus disperdit. Quem si vidisset notus ille Saxoniæ Morio, De Ærar. l. 1. c. 8. n. 42. Exerc. D. Tab.

nunquid exclamâſſet : *Vah quantus Naſus!* Quantum putas abſumit balbrâ nare *Sambrius Opdagricus?* Quantum *Labbeonis naſus infans, multo madidus imbri nullo* gratus acumine? Quantum *Schnargutius*, cui hircoſus.

Piloſas nares polypus occupat,
Et plenum ſitiens Oenophorum botros
Protrudit facies uvea gemmeos?

Quantum diſploſis naribus *Wildegaſtus?* Quantum reſimis *Baſſus?* Quantum naſo pumicato *Bibianus.* Certè rara hæc ac memorabilia ſunt magni naſi exempla. *Labienus* ſecum ſemper geſtat non pixidem, ſed pixides, & inter illas quandam Naſorum quatuor, quantæ integro Nycthemero naſus, non ſufficit unus. Liceat huic ponere Epigraphen:

Ecce dapes naſi, capere has, nil dulcius unquam,
Conſimilem tolerat Tantalus ipſe ſitim.

Pergamus ad alterum ſexum. Quantum quot annis abſumunt, ſuiſque diſpenſant amaſiis *Phrynella*, *Philenis*, & *Amin-*

Aminthes? Quantum totus ille ſupra à Baldeo enumeratus Amazonum exercitus, ut & illa de quâ canit:

Bojugenam audivi de conjuge multa querentem,
Multa quidem, ſed & hæc, undanti non ſinè riſu
Ac limis oculis: Inopem mea Berta facit me.
Scitanti cauſam; non eſt ſatiabilis inquit.
Vini an temeti ſitiens? Quin immo tabaci
Tantum emit atque intra non totum prodigit annum,
Quantum ſufficeret ſex remigibus Gravelingæ.

Hic certè meritò exclamat vates.

Grandem & conſpicuum noſtro quoque tempore naſum!

Sifflæus Pharmacopola, egregius quoque Naſocurus, ultra centum libras tabaci ſternutatorii quot annis vendit, & ex quavis libra facilè lucratur imperialem, pro quovis diſtrahens ſex uncias. Lucrifera medius fidius ſi quæ

alia mercis ſpecies. Stipulæ, radiculæ aliæque tabaco excuſſæ quiſquiliæ teruntio venales ſæpè naribus ſatisfaciunt gregariis, modò pharmacopœæ pixides oleant. Paucæ olei odori guttulæ pretium addunt rei viliſſimæ. Et ſic quoque arguto ſtratagemate naribus illuditur. Nulla Officinæ pixis plus Sifflæo annuatim contribuit, quàm tabacaria. Sed quis laboris lucrum ſolertiſſimo viro invideat, niſi quid pro quo væneat? Verùm hic ſyncerius adhuc multò agere videtur illis Indorum Merdilegis, qui ut memini me alicubi legiſſe, Regum atque Magnatum Indiæ (quibus mos eſt magna Caryophyllorum, Cinamomi aliorumque aromatum quantitate indies veſci.) ſtercora ſolicitè colligunt, exſiccant & pulveriſata in alias terras: (fortè & has noſtras ſub tabaci Hiſpanici ſpecie & titulo,) mittunt prô pulvere ſternutatorio exquiſitiſſimo. O Pharmacopœe, hoc naturale eſt Aromatum magiſterium, hæc animalis fœcula, cui tua ceſſerint tabaci mangonizandi artificia. O nares mortalium ſcatophagas! ô turpitudo, ponere id inter delicias, quod natura ceu excrementum putidiſſimum foras projecit! Et certè

ſi

ſi ſimilia forent eadem, pulvis ille Hiſpaniæ ſternutatorius & ſubtili levitate ſua & colore exactiſſimè refert Zibeth occidentale microcoſmicum in Alcool redactum.

Sed hoc Sophiſma & procul dubio patriam ſuam redolet. Genuinus autem tabaci Hiſpanici pulvis ſic paratur, quod addam, ne ejus amatoribus fortè nauſeam prædictis conciliem. Hiſpani Tabacum Braſilum in cubiculo calefacto probè exſiccatum manibuſque minutiſſimè contritum duobus ſacculis lineis denſioris texturæ includunt, quos Verna oculis, ore naribuſque peculiari machinâ cautè munitis in loco undique concluſo fortiter concutit excutitque, quò pulvis tantum tenuiſſimus fumi ſpecie per ſpiſſiſſimum linteum, evolet, qui parietibus & tabulatis cubiculi undique adhæreſcens colligitur. Pulviſculus hic ſummè levis ac volatilis à Patriâ ubi paratur audit Hiſpanicus, innumeris hodie naribus, etiam fæmineis ſummæ deliciæ. Paratur eâ quantitate, ut ad cunctas Europæ oras ablegetur, licet inter pulveris ſternutatorii ſpecies ſub abuſu omnium nocentiſſimus.

Verùm fruſtra queſtus ſum tabaci dis-

dispendia. Utinam omne disperdatur! Utinam semper rursum ejiciatur naso! Sed etiam ejus pars transit per ejus meatum ad palatum, ossis Ethmoidis subit meatus, cum saliva delabitur in ventriculum, provolat ad laryngem, imo ipsos pulmones, variaque excitat gravia, & sæpè periculosa symptomata, ut infra ostendetur. Jam igitur mihi videor audire quærentem tabacophilum, quanta, si necessitas exigat, & quo inprimis tempore ejus sumenda sit dosis? Loquatur & respondeat pro me prælaudatus Magnenus: *Mundo corpore jejunus homo, non inprosperâ utens valetudine, exonerando capiti pulveris unum aut alterum granum ex utraque nare sumat.* O Magnene nunquid hæc nimiùm rigidè? Quot hìc circumstantiæ? *Unum alterumve granum ex utraque nare?* Unam alteramve unciam aut saltem drachmam satius dixisses. *Mundo corpore?* Ubi tale semper inveniemus? *Nasidieni* nostri vix mane strato surgentes, priusquam sellas visitent patroclianas, jam eo cum voluptate utuntur. An tantum *jejunus homo?* Naso concesserim, non stomacho. Etiam bene pastis hodie non displicet. An nemo nisi *non im-*

L. c. Regul. 3.

pro-

prosperâ utens valetudine? Remedium valetudinis adversæ magis credideram quam secundæ. An nunquam nisi exonerando capiti? Sed apud nullos magis hodie in usu est, quam qui sunt cerebri levissimi. Limitanda itaque tibi erit Excellentissime Magnene hæc ex tribunali Medico lata sententia. Contra quam aliàs universus intabaccatorum chorus ringentibus naribus insurget. Sed non opus est hac admonitione. Videtur ipsemet jam hoc prævidisse. Unde sic limitat. *Dandum est aliquid consuetudini, unde & iis, qui ita assueverunt huic pulveri, ut frequentius in die utantur, author essem.* (Tace nunc Magnene, tace, jam satis dixisti, si gratificari desideres. Sed pergit:) *Coercerent se intra moderatiores limites, & semel in die tantùm jejuni adhiberent. Quod si gravior sit abstinentia, sumant ter in die, mane jejuni, iterum jejuni ante cibum, & ante cœnam.* Sed hæc rursum nisi nimis severè, saltem scrupulosè. Ganniunt intabaccati, & contra asperum nasi magistrum provocant ad aliud tribunal. Litigent illi, ut volent. Nos litem hanc nostram non faciemus. Regulâ IX.

§. IX.

§. IX.

Pulveris Tabaci nasalis variæ species.

QUæ hodie gens est, cui tabaci non sit Orexis, cui sua non sit Petophylaca, sive ori sivi naso destinetur? Ubique civitate donatum est. Pluribus tamen in locis lucrifera cum eo instituuntur Monopolia. Etenim cum omnibus nec prosint, nec arrideant omnia, multisque conspecta satis sit tabaci Hispanici levissimi noxa, feriari tamen nares renuant, de ejusdem correctionibus & Mangoniis cogitari cœptum est, variâque praxi quæsitæ sunt gratiæ, tum pro lenocinio narium, tum nummorum aucupio.

Lusitania ex Nicotianæ nigræ optimæ foliis mittit pulverem coloris ex citrino viridescentis, Hispanico nonnihil correctiorem, quòd eorum priùs aquâ rosarum facta maceratio detrahat acrimoniæ. Inter Hispanicos tamen pro optimo habetur, quem mittit Havana & Sevilia. Hispani *Dala Vana* appellant, quo ceu suavissimo maximè delectantur. Horum pulverum levitas

te-

tenuitasque cum deprehendatur multis admodum nociva, Tridentum Bononia Venetiæ istos compingunt in minutiora granula enchiresi vel Pharmacopæorum pueris nota, quæ porrò ad majorem gratiam oleo de Cedro, Jasmino, & quod appellant Pergamotte inficiunt sicque naturalem herbæ fætorem occultant. Et his nasum sæpissimè exercitant Itali rarius fumigantes. Ille, qui in Galliis *de S. Dominique* audit, etiam lotus & granulatus multorum nasis blanditur.

Turinum aurantiorum & rorismarini flores Nicotianæ jungit grato connubio. Snebergum Helvetiorum ex variarum radicum herbarumque miscella pulverem construit nasis substillantibus phlegmagogum. Colonia Agrippina præsentat ex Domo ceu vocant rubra Nicotianam sternutatoriam oleo lavendulæ non ingrato imbutam. Schaphusium Comitis Maximiliani pulverem nasalem ex peto Virgineo paratum & ob majoranæ Lavendulæ, & Rorismarini flores ut & lignum rhodium ireosque florentinæ radicem admixta admodum suavem cœteris præfert. Gallia jactitat suum *Tabac de Jasmin*, *Tabac musqué*, ut innume-

ros

ros alios amatoribus quàm mihi notiores nasi pulveres, eorumque miscellas, fucos & mangonia prætercam. Ita mundus vanitatum Amasios naso ducit, ut bursas argento emungat.

Jam video te exspectare, ut indicem, quem in illâ pulverum varietate æstimem optimum. Dico, quod olim lupusculorum institor: Unius matris fætus sunt. Elige quem velis, omnes abusu sunt noxii. Non sugillamus ista correctionis artificia laude digna, si absit impostura & abusus. Ipsimet in *Neotheâ* nostrâ nuper publicata egregii pulveris sternutatorii elegantem formulam sed absque tabaco, ex succedaneis roborantibus & resolventibus cephalicis dedimus, ita ut ejusmodi ptarmicorum usum necessitatis tempore apprimè utilem maximè probemus, voluptatis autem & consuetudinis tantum ergo usurpatum penitus rejiciamus. Si mihi daretur optio, tabacum nostras cuivis indico præferrem, non tam positivè quam privativè correctum. Etenim excellenter odorifera lædunt odoratûs sensorium, & spirituum texturæ nimiâ dissipatione brevissimè sunt molesta, imo in nonnullis Cephalalgias producunt. Ostendam

nunc

nunc igitur noxas & pericula ex pulveris tabacini ſternutatorii continuo uſu, qui peſſimus abuſus eſt, ſæpè orta, & quidni impoſterum facilè oriunda, & quidem tum meis, tum fide digniſſimorum Scriptorum obſervationibus atque exemplis,

Ad imit. Hor. Ep. l. 2.

Nè fortaſſe putes me, quæ facere ipſe recuſo.
Et rectè tractant alii, taxare malignè.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICÆ MORALIS DE PICA NASI.

PARS ALTERA.

De noxâ Tabaci ſternutatorii.

§. I.

Odoratus, abuſu Tabaci ſternutatorii in multis valde imminutus, in pluribus penitus ſublatus.

DE enormi Tabaci appetentiâ, non virorum duntaxat & juvenum ſed & matronarum & virginum, imò vel puerorum hodie ludibrio, (ita enim celeberrimus *Pechlinus* Picam definit) jam novum inchoamus diſcurſum, quo Tabacipicæ noxas oſtendemus. Non ineptè Tabacum impoſterum appellari poterit *Herba Naſicola*, etenim, ut cum Vate loquar, hæret *in valle Naſi & in Caverna narium.*

L. 2. Obſ. 55.

Hac-

Hactenus his inhabitavit incola nobilissimus, innumerarum in natura rerum arbiter & discretor sagacissimus; Archeus odoratûs præses, non frustrà homini concessus, ceu ex artificiosissimâ ejus organi structurâ, ad quam vel à primo nervorum pari filamenta seu fibrillas nerveas distribuit natura, satis eluceſſit. Universam narium amplitudinem tenuis vestit tunica, duræ menyngis credita soboles, sub quâ glandulosus & nervosus latet contextus (ramos nervorum tertiæ conjugationis ad eum mitti docent Anatomici) proxima olfactûs sedes. Etenim dum corpuscula odora, seu exspirantia ex rebus odoriferis effluvia cum aëre admissa seu potius impulsa ad dictas fibrillas nerveas allidunt, Archeus mox persentiscit & agnoscit factas impressiones, ex quibus objectorum ad mentem feruntur ideæ. Hoc institutum prudentissimæ naturæ est. Schneid. l. de Ossicribif.

Verùm vilipendit & explodit hoc, quisquis narium antra incessanter tabaco suffarcit. Veterem jubet hìc migrare colonum. Tubuli namque nervei ab ejus acrimoniâ perpetim vellicati corrugati, crispatique tandem penitus obstruuntur, lympha natura-

liter blanda ex narium glandulis extillans, membranamque internam humectans, odoratumque facilitans exsiccatur, sicque tandem sensibilis narium membrana omnino occallescit; unde nisi odoratus tantùm non penitus omnis aboleatur, specifica saltem odora rerum vis intabaccatos fugit. prostant ubique exempla, quæ dictis fidem faciant. Novi ipsemet, & quis non novit? Nasutissimos Petiposcios, quibus narium sagacitatem penitus sustulit Nicotiana. Novi Petophilos, quibus saltem sic vitiavit olfactûs organum, ut inter odores exactè nequeant amplius interstinguere. Testatur Simon *Pauli* illud orbis Arctoi decus, se quoque novisse plurimos, tabaci minutatim triti abundanti usu, odoris dono privatos, sive dictæ herbæ pulvis odoratûs instrumento vim distinguendi ademerit, sive ossis cribrosi foraminulis paulatim occlusis variis odorum generibus ad cerebrum penetraturis viam obstruxerit. Subjecit quondan *Pauvius* cultro anatomico patibularium, omnium tabaci amatorum in vita facilè Principem, cui defuêre omnino processus mammillares, quos à tabaci abusu fuisse absump-

Tr. d. abus. Herb. Tabac. & Thee.

ſumptos ſuſpicatur. Non ſecus enim, ac hecticorum tabeſcit & exſiccatur cutis, & in ardentiſſimis febribus partes colliquantur, à nimio & pulveris & fumi exſiccantis uſu organum hoc labefactatum fuiſſe cenſet. Cui & *Magnenus* ſubſcribit. *Dico*, ait, *quidquid ſit de illâ Pauvii Diſſertatione, Olfactum ab uſu tabaci in multis aboleri. Id plures mihi retulerunt, tum qui pulvere, tum qui fumo abutuntur, ratio eſt: quia nimis exſiccantur proceſſus mammillares, unde cum ſicciores quovis odore reddantur, non poſſunt ab iis immutari. Odor enim eſt à ſicco ſuperante humidum, ſenſoriaque ab objectis ſuis immutari opus eſt, ex Ariſtotele* III. *de anima.* Ita ille. Hæc proceſſuum mammillarium tabes pleriſque intabaccatis communis eſt. Sed cùm hæc ex anatome petita ratio non omnium mox pateat captui, dabo aliam poſcenti *Fumandro* hoc Epigrammate aliquando datam.

Quò rectè videas, opus eſt ſit ut abſque colore
In oculis triplex quæ reperitur aqua.
Ut benè percipiat ſapidum ſubmiſſa palato

Lingua, peregrino nuda ſapore vacet.
Eſt aliis eadem ratio cum ſenſibus. Unde
Si naſum tabaci reppleat ater odor
Quì poterit reliquos judex diſcernere odores?
Corruptus judex non benè jura facit.

Malè verum examinat omnis corruptus judex inquit Horatius. Suffarctus tabaco naſus corruptus judex eſt, qui caret diſcretione, & odorabilium neſcit diſtinguere effluvia, an amica cerebro ſint, an inimica. Experimentum feci in cane, cui balſamo antiapoplectico volatili largiter inunxi nares mecum aliò abducens, manſit nec repetiit domum, neſciens ſagaci nare repetere veſtigia.

Audi quid ad hæc *Fumander*. Canis inquit non ſum, nil mihi cum rerum veſtigiis negotii, neque venatui deſtinor. Fugitiva odorum eſt voluptas, abeat. Tabaci immanens eſt, continua, & perpetua. Varro dixit: *quis non in vita Heliotropios Olfaciat temetum?* Ego ſatius dixerim tabacum? Vita Hiliotropios unius quaſi diei lux eſt. Hæc non admodum moratur odoratûs exacti beneficium ad vitam ſimpliciter non neceſſarium. Edepol

hæc

hæc eleganter mi Epicure, & cum naſo. Apage Rhinoceros, cui cinnama naſum non movent, nec gratæ odorabilium aporrhoæ. Sed mirum! *Fumander* inter canes illos Ciceronis Verrinos & Valeſii Cybariticos eſt, Cauſidicos inquam, qui cauſas elatrant. *Hos* ait Tullius *mirum in modum canes venaticos diceres, ita odorantur omnia & perveſtigant.* Cur igitur tabaci pulvere naſum obtundit? Reſpondet id nil referre, lucri enim odorem ſibi manere integrum etiam ex re qualibet. Sed hunc ego inter veros Alitheæ & Themidos patronos non retulero. Mirum naſi judicium refert *Anaxagoras* Philoſophus maximè ſenſatus. Ut quis exactè judicet de cuniculo, deciſionem ait committendam eſſe naſo; ſi redoleat ſerpillum & geniſtam, eſſe ex genuinis, ſi braſſicam ex ſpuriis. Pari modo inquit *Columbina* admovendus eſt Doctor Juris aut Advocatus naſo rationis, ſi odorem habet bonarum literarum, Verus eſt Doctor, ſi pulverem duntaxat redolet Scholaſticum, & Nicotianæ, pro caniculo tranſeat aut lepuſculo. *Fumander* nares nimium obſtructas habes. Non capis odorem veritatis. Ineptus igitur

In Th. Ital. Gerh. Tom. 1. Columbin. A. vocat. Sc. 12.

tur es huic cenſuræ. Alieno neceſſum eſt te nato ſubjicias, quia proprium deſtruxiſti. Quid autem ille de te judicet, jam dixit *Columbina*. Vos qui naſum adhuc præfertis ſagacem, nolite ejus organum corrumpere, niſi fortaſſe id ſumma & extrema cogat neceſſitas. Hac etenim urgente, oportet hìc nonnullis concedere diſpenſationis bullam, quâ tabaco naſali liberius utantur & copioſius.

Cur. 7. Cent. 6. Cuicunque igitur, ut apud *Luſitanum* Franciſco Nummulario Raguſino, in naribus acceſſerunt Cruſtaceæ turundæ, & ſpiſſiſſimæ compagis muci vix loco mobiles, illi vel cum ruina odoratûs, forcipe tabacino eadem extrahere permittitor.

Pathol. l. 5. c. 6. Cuicunque, ut illi apud *Fernelium* reſimis naribus militi ex fædiori eluvie vermes ſubnaſcuntur villoſi, furoris ſæpè & mortis authores; huic conceſſum eſto tabaci attrahere quantum ſatis eſt. Jam vos juvenes liberè fateamini, vos verme cerebri aut naſi laborare, ut hoc prætextu & plenam vobis naſi libertatem vindicetis, & pulveris iſtam excuſetis intemperantiam. Ne ſarcaſmum putate. Certè crebrior, quàm opinamini, intra na-

res

res vermium eſt generatio. Fidem facient Thomas *Bartholinus* Cent. 2. Ep. 74. Nicolaus *Blegny* Zod. Med. Gall. Ann. 1. Menſ apr. Obſ. 3. Petius *Borellus* Cent. 3. Hiſt. 45. Jo. Michael *Ferh* Hier. Pier. p. 79. Conr. Victor *Schneiderus* de Oſſ. Cribriformi p. 400. Nicolaus *Tulpius* L. 4. C. 1. Nicol. *Monardes* Hiſt Med. ſimpl. C. 14. Jo. Georg. *Schenkius* L. 1. Obſ. Med. Marc. *Donatus* Hiſtor. Med. Mirab. L. 4. C. 26. Theodorus *Kerckringius* Obſ. Anat 43. *Fabriſius* Hildanus Cent. 1. Obſ. 8. Cent. 5. Obſ. 1.

Si quis, ut ille apud Volkamerum vir ſexagenarius temperamenti atrabilarii, ex obſtructione narium inciderit aut incidere metuat in melancholiam; illi cum frequentiori tabaci uſu Medicationis tentamen, inſtituere liberum eſto. Vir quidem iſte inter ſuſpiria & planctus horas conſumens, nullis autem adjutus remediis ſuaſu amici Nicotianam in crebriorem uſum vocavit. Sic reſeratis naribus effluxit ſaburra, & convaluit, tabaco interim ſic aſſuetus, ut ad mortem uſque vix per momentum eo carere potuerit.

Ephem. Germ. C. Dec. 2. Ann. 5. Obſ. 153.

Duo porrò caſus occurrunt, in quibus non adeò abſurdum, imò conve-

niens videri poſſet, tabaco odorandi vim penitus tollere. Primus eſt, ubi ea circa certos odores aut homini aut toti familiæ innata eſt antipathia ut citra grave animi deliquium, & ſanitatis detrimentum eos perferre nequeant. Cardinali *Oliverio Caraffa*, ut perhibet Valerianus *Pierius* (*a*), & Cardinali *Don Henri de Cardone*, ut narrat Philippus *Ingraſſias* (*b*), & *Heneageæ* in aulico Reginæ Anglorum Eliſabethæ Gynæceo Domicellæ, ut refert *Digbæus* (*c*). (Ut alios taceam innumeros) roſarum ſic infeſtus erat odor, ut ad eum terrore, ſudore gelido, lypothimiis corriperentur. Joannes *Echtius*, ut *Schenkius* (*d*), & *Cronenburgius* (*e*) memorant, & notiſſimus Joannes *Prævotius* Profeſſor Patavinus adnotante *Rhocho* (*f*) nunquam vel è longinquo roſas ſubodorabantur, quin vehementiſſimis ſternutamentis concuterentur. Ita conſtat dari alios, quibus jaſmini, liliorum alborum, violarum, florum aurantiorum ſummè hoſtilis eſt odor, ceu *Scaliger* (*g*), *Bartholinus* (*h*), *Panarolus* (*i*) teſtantur. Nobiles Domini de *Candales* in Guyenna, & uterque in hac illuſtri domo ſexus pomorum odorem ſibi infeſtiſſimum abhor-

(*a*) L. 8. Hieroglyh.

(*b*) Quæſt. de Diæt. Craſſiſſ. & tenui.

(*c*) Tr. 1. de Nat. Corp. c. 38. p. 436.

(*d*) L. 3. Obſ. Med. C. ult.

(*e*) L. 10. de Commes.

(*f*) Cent. 3 Obſ. 99.

(*g*) Exercit. 142. part. 2.

(*h*) Hiſtor. Anat. Rar. Cent. 3. Hiſt. 28.

(*i*) Pentec. 2. Obſ. 38.

horrent, quæ quoque nunc toti *Foëſiorum* Perilluſtri in Aquitania familiæ communis eſt Antipathia, ut teſtis eſt *Bruyerinus* (*a*). Qui quoque meminit Regis Galliarum Franciſci primi Secretarium Joannem de la *Cheſnage* vel minimum pomorum odorem ita exhorruiſſe, ut ex eo nares cruentarentur. *Uladiſlaus Jagellus* Polonorum Rex, pomorum odorem ſummè averſabatur (*b*), qualia plura exempla prædictus *Scaliger*, *Roſenbergius* (*c*), *Libavius* (*d*) adducunt.

(*a*) L. 1. de re Cibar. C. 23.

(*b*) Mart. Cromer. L. 20. Hiſt. Polonio.

(*c*) Rhodolog. C. 13. p. 217.

(*d*) L. de Antipath. p. 159.

Quâ quidam ſtante invincibili Antipathiâ nemo facilè inficiabitur, ſi illa ſublato odoratu tolli poſſet, ſatius eſſe hoc carere, quàm vigente in ſanitatis imò vitæ conjici pericula. Quamvis & adhuc valde dubium ſit, num non & ipſe roſarum, aliorumque ut & pomorum ſaltem conſpectus eadem ſit inducturus Symptomata. Præfatus namque *Oliverius Caraffa* quotannis ſolitus eſt roſis florentibus ex urbe ad ſuum palatium & hortos in Quirinali ſecedere. Et conſtitutis ad oſtia cuſtodiis ſeveriſque interdictis cavere, ne quis, aut ſalutantium aut amicorum Officii gratiâ ingredientium qui roſam, etiam ignorans, ſecum geſtaret, intromitteretur. Infeſta

enim

enim rerum Antipathicè adversarum odora effluvia, non tantùm per odoratus sensorium, sed & per alias corporis aperturas ipsosque poros penetrare, & sanguinem spiritusque afficere non unâ inductione, si pagellarum permitterent angustiæ, comprobari posset. Quemadmodum igitur inanis foret labor, ut talem tollas antipathiam, aut oculis visum tollere aut corporis obstipare poros, sic nec minùs irritus esset conatus, abolito odoratûs sensorio arcere hostiles & noxias emanantium ex odoriferis totâ naturâ contrariis aporrhœarum assultus: cùm hæ saltem radiativè agant, corpus ubique in & perspirabile clanculum intrent, & ejus fluida modo hactenus inexplicabili afficiant.

Alter Casus naso magis videtur favere. Contingere enim potest, ut alicui in perpetuâ cloacâ aut inter sordes sit habitandum, aut talis exercenda Professio, ut satius sit non olfacere, quàm pessima & fætida. Quo quidem casu procurata per tabacum odoratûs abolitio haberi posset pro beneficio. Patet id exemplo. Quod his verbis recenset Excellentissimus Theodorus *Quingerus*. *Vixit Scaphusii medicus per Europam celeberrimus Dominus*

Th. Prax. Med. p. 315. Tit. Odorat. Læsio.

nus D. Joannes Wepferus, qui propter continuam errhini pulveris tabaci attractionem omnem olfactûs sensum penitus amisit, nec unquam postea recuperare vel potuit vel voluit. Fortè quod commodum sic fuerit, tantoque minus impedimentum in anatomicis, quibus delectabatur, negotiis & exercitiis creaverit.

Verùm enim verò utut sit tollatur odoris adversi sensibilis molestia, non tamen ex eo noxa in Archeum redundans abigitur. Nam & pestilens odor naribus non perceptus Archeum horrore quatit, inquit Helmontius. Non sentiatur naso odor cadaueris, longè tamen post sentitur circa stomachum, idem ait. Etiam odores citra narium transitum cor affectant per pulmones in thoracem deducti. Etiam spiritus sanguinis & vitam citò attingunt, & sui contagio horrenda & periculosa symptomata inurunt. Nec odoratus sublatus odoris infesti noxam removet, nec nasus tabaci pulvere totus quantus infarctus ab eâ præstat securitatem. Interim cadaverum prosectoribus, & quibuscunque Cloacinæ ministris libenter favemus, quod, ne fætorem percipiant, hoc sensu se destitutos gaudeant. Indefesso rerum naturalium scrutatori præstat

Tr. imag. fermenti n°. 20.
Tr. custos errant. n. 26.

tat hunc ſervare integrum, & ut Paracelſus ait, canem agere ſedulum, quò in veſtigia naturæ arcanorum incidat; nam & ſubjectorum ſive fragrantes ſive graviolentes habitus, ſulphurei ſalinive, in aliquam illorum notitiam ſagacem deducunt. Mirum autem eos, quos tabaci abuſus odoratu penitus privavit, nihilominus ejuſdem deperire odorem, non quòd hunc actu ſentiant, ſed quod ejus olim huic ſenſorio tenaciùs impreſſas ideas continuò Phantaſia revolvat, non ſecus, ac cui brachium aut crus amputatum eſt, illud tamen quandoque adhuc ſentire, moveri, aut dolere ſibi imaginatur.

§. II.

Tabaci naſalis abuſus vocis tollit gratiam.

—— Adſpice partis
Nunc damnum alterius, nam quæ cantante voluptas?

L. 4. Sat. 10.

CAnit juvenalis. Vox homini cum bruto communis eſt, ſed illi articulata ad explicanda mentis ſenſa. Huic ut decet edendæ non modo cartila-

tilagines laryngis (quarum motu aër in expirationis actu elisione determinatâ per rimulam laryngis vocalis redditur) lingua, palatum, labia, aliæque oris partes inserviunt, ita ut meritò nares inter instrumenta secundaria recenseri debeant, quibus vox si non absolvitur, magis tamen perficitur. Non oritur vox clara auribusque grata, si narium obstructa aut clausa sint spiramenta. Ipsa dos Linguæ per nasum deperdit gratiam. Exemplo isti sint, quos vulgò dicimus de nare loqui.

Jam verò quotusquisque hodie insignis nasi farctor non loquitur, quasi *vocem calamo transmittat agresti*? Quod nunquam observatur clarius, quàm quando canendum est. Non unum observabis tabaci nasalis amatorculum etiam ex iis, quibus juxta vitæ professionem rasus est vertex, de quo finito cantu repetere non possis illud *Persii*:

Rancidulum quiddam balba de nare locutus.

Etiam non rarus succentor coactâ nare succinit. Dixerim cum Martiali quandoque *melius* illo *ranas garrire Ravennates & Adriaticum dulcius cantare culicem.* 3. Epigr.

licem. Ratio eſt. Tabaco ſternutatorio nimium aſſueti plerumque nares ad radicem conſtrictas habent, aut ſaltem ſe habere imaginantur, unde impoſitam ſibi putant pulveris hujuſce ſumendi perpetuam neceſſitatem, quò iſta divellant repagula. Rara tamen inde fit ſolutio, quam non major conſtrictio brevi ſequatur, pulviſculo in primis ibi reſtagnante. Maximè ſi intra cerebrum acrior materia ſtabuletur. De quo ſic monet Hollerius, Judex ſi quis alius hìc impartialis: *in naſo multò magis ſi ad radicem conſtrictus eſt, videndum, ne acris materia capitis illac deducatur, nam inde contingit, ut exeſo naſi initio è naſo loquantur, & vox vehementer vitietur.*

L. Prop. Obſ. 2.

Verùm & hæc apud ejuſmodi conſuetudinarios fruſtranea eſt Ode. Novi namque moris eſt, & ſic fert ſeculum, ut reputetur vocis elegantia per narium ſemi obſtructos anfractus emiſſæ. ſumunt vitia virtutis imaginem, & erratis velum obtenditur, quo excuſetur mortalium inſana cupiditas. Tu ſaltem quiſquis es de luto meliore fictus aut *nectis quicunque canoris eloquium vocale modis*, fuge hunc vocis corruptorem. Inprimis tu ſuaviſſimè cantans

Juvenalis.

Ro-

Rosignolia, sine viros jam loqui naribus, cave tu ne nasi intabaccati insolentia dulcisoni gutturis tollat gratiam. Vos quoque, qui choro estis destinati, verbis alloquor Martialis: *Modus breviter sit naribus uncis* Nares vestri uncorum instar Nicotianam attrahunt, imò veluti uncis affixa vobis hæc est consuetudo, tandem huic modum statuite, ne vos ipsos instar soricis voce propriâ aut naso prodatis.

Auditi certè quàm hodie *majores nunquam ronchi; juvenesque, senesque, & pueri nasum ronchisonantis habent.* Prô quàm clamosus & obstrepens iis subter somnum est nasus! Non tales Æolus sonos facit, dum flabra per rimas transmittit, quales nasus tabaco obstipatus. Quærebat *Palæstrio* apud Comicum in milite glorioso, *Eho an dormit Sceledrus intus?* Respondet *Lucrio: non naso quidem, nam eo magnum clamat.* De quot hodie tabacophilis idem non dixeris, qui vigilanti stertunt naso; & dormientes horrendâ suffocatione jam jam strangulandi imitantur terrificum stertorem. Vah, quam angustatum est vocis iter! Quis intra fauces & præpeditas nares aëris reciprocantis jam strepitus, jam sibilus,

Act. 3. Scen. 2.

jam violentâ explosione sonitus! Tulit aliquando casus, quod in itinere talem nactus fuerim lecti contubernalem, & per totam noctem somnum oculis non vidi meis, licet toties voto expetitum. Conqueritur olim *Lipsius* se Westphaliam transeundo fortè incidisse in vulgare hospitium, in quo lecticam offenderit, juxta quam ad utrumque latus vaccæ, equi, vituli, supra pulli, & gallinæ, subter (fidem suam testatur) porci, stabulabantur, quæ inter dormire seu potius vigilare fuerit coactus. Malim certè ego bruta hæc lecti confiniis proxima, quàm tale animal naso ronchisonans in lecto socium habere.

In Epist. ad Mauten.

§. III.

Pulvis tabaci quam longâ assuetudine naso tribuat constitutionem.

EDic, sodes, antiquum ænigma est, quid ferro & vomere est durius constantiusque, ut absumi renuat? Non ineptè respondit Oedipus, id rostrum esse suis; quod tametsi continuò versans invertensque glebas, nec atteritur nec imminuitur.

— Lon-

—— Longo consumitur annulus usu,
Et teritur scissâ vomer aduncus humo,

Non porci lutulenti nasus. Idem si hodie gryphus solvendus proponeretur, dicerem id esse nasum *Rufini*, qui ipso ferro firmior, assiduo noctes diesque tabaci affrictu & perpetuis poppysmis nihil deteritur. Nempe naturam oris porcini habet, & callum induit abductus aprugnum, quo duratur duratque ad usus vel ipso vomere & rastris firmior. Dicam cum Martiali.

Teruntur ansæ veterum Corinthiorum,
Teritur crus compede lubricum decenni,
Teruntur quæ Flaminiam secant salebræ,
Teruntur qui littoribus nitent lapilli,
Teritur Tuscâ ligo Vineâ politus,
Teritur pigri rota quassa mulionis,
Teritur dens jam senior ferocis apri.

Res una tamen non teritur, Nasus tabacophilorum. *Rufine* naso tuo nulla est quies. Fimas atro pulvere, aras, & occas hunc collem, nil tamen ejus consumitur; aliàs jam pridem fuisset Nasus infans, dimidio minor, aut potius

planè osseum Nasi Sceleton : ô nasum verè porcinum! Sine, amplius tangam & explorem robur nasi tui. Sed scio me canem naribus prendere aut fumantem ursi nasum tentare, ut est in proverbio. Rursum igitur jam tibi blandiar, & dicam, quòd nasus tuus longâ tabaci assuetudine consecutus sit grande beneficium.

Membrana narium interior ut nervis, sic adeò exquisito gaudet sensu, ut non assueta ptarmicis ne vel minimam Nicotianæ portionem tolerare valeat absque motu convulsivo, quæ sternutationem inducit. Hæc periculosa est si crebrior, ut infra ostendam, non rarò admodum nociva, imò non semel comperta est lethalis. Jam verò illa pulveris tabacini abusu continuo irritata, & copiosioris lymphæ rigata & corrugata affluxu, sensum exuit, & tandem induta est callum, quam jam impunè quæcunque tabaci acrimonia possit lacessere. Et hoc revera non exile est beneficium. Si enim toties nasus, quoties attrahit tabacum, sternuendo convelleretur, jam dudum vel ipsa cerebri compages fuisset divulsa, aut pulmones labefactati, aut sensoriis gravior illata noxa. Gaude igitur

Na-

Naſe porcie hoc beneficio. Quod quis tibi invideat? Præſtat enim perire inquilinum tibi ſenſum, quàm eo integro periclitari cerebri ſyſtema. Vos autem tabacigerulos, quibus *ſemper ſedet in nare aſpera bilis*, ut ait in Thyrſide *Theocritus*, nonnunquam juvabit ſternuere, quò monente Perſio *ira cadat naſo rugoſaque Sanna.* Sed vereor ne his nares callo obductæ ad tabaci, nedum ad Satyræ hujus ſtimumulos non ſint ſenſibiles. Audio oggannire:

Quid eſſe noſtro fortius poteſt naſo?
Necdum eſt tabaco tritus, attritus nunquam.

§. IV.

Viſus nimio pulveris Tabaci uſu planè amiſſus.

VIdimus Petipoſcios quos odoratu privavit Nicotiana, nunc quoque ſiſtam, quorum oculis nubem objecit, & ſolis lumen ademit. Plures tales nimio illius pulveris uſu excœcatos, quibus viſcoſus humor in nervos opticos inciderat ſe vidiſſe teſtatur præ-

laudatus *Simon Pauli*. *Magnenus vidi* inquit *nonneminem*, *cui insanus hujus pulveris usus crystallinum corrugaverat humorem*, *unde & fluitantia cernebat objecta*. A Nicotianâ miserè visu privatum vidit Hildanus, vidit Rolfinius, vidit Platerus, vidêre alii. O terribilis *gutta serena*, quæ æternâ nocte oculos damnas! Iniquè appellârunt te Medici *Serenam*, quæ lurida, squallida, tetrica, tenebricosa dici merebaris. Quærebant infelices isti oculorum lymphas, ut putabant, catharrales per punctum lacrymale ad nares, & inde foras educere, sed infaustâ metastasi vel in puncto nervi optici obhærescens gutta visum penitus abstulit. Volebant oculis suffusas nebulas diligentiori ptarmicorum usu discutere, sed ex crepusculo in horrendam noctem inciderunt. Non ex sexcentis uni contingit fortuna, quæ Centurioni *Batevillio*, quem certo pulveris nasalis usu visum deperditum recepisse ex ore *Boyle* intellexisse *Borrichium* narrat *Bartholinus*, ejusdem quoque in semetipso recommendator. Esto verò, non omnes statim prorsus cœcutire, aliàs quot hodie visu orbos spectaret Europa? Certum tamen ac indubitatum est,

L. c. Exerc. 8. p. 108.

Cent. 1. Obs. 24. Diss. Anat. p. 1354.

In Act. Hafn. Vol. p. 50. & Ep. 98. Cent. 4.

eſt, à tabaco ſternutatorio promiſcuè non intendi oculorum aciem. Excell. Ettmullerus teſtis eſt, plures Italos ob continuatum ejus uſum etiam junioribus annis cum imminuto olfactu hebetudinem viſûs pati. Coll. Pract. p. m. 79.

Recenſebo nunc caſum, quem mihi praxis obtulit. Anni aliquot ſunt, quod *Ranchemius* vir Eccleſiaſticus conſilii cauſâ me accederet, oculis ſanguine rubentibus, lippientibus, & tantùm non caligantibus promptum efflagitans collyrium. Noſcebam ex fama viri mores & indolem adſcitam, ſeu peſſimam conſuetudinem, quòd vini cremati & tabaci eſſet maximus, ſi quis alius, amator. Quod & à me rogatus non diſſimulavit. Obtuli auxilium, & monui ab iſtâ aſſuetudine paulatim eſſe recedendum, niſi oculorum gratiſſimo lumine tandem velit privari. Amice inquam (vir enim eruditus erat) legiſtine Martialem? En lege, quod te cautum reddere poſſit:

Potor nobilis aulæ lumine uno L. 6.
Luſcus Phryx erat, alteroque lippus,
Huic dicit medicus, bibas caveto
Vinum, ſi biberis, nihil videbis.

Dignissime amice opto hoc de te non esse præsagium. Moneo tamen, ne tabaci stagmatumque ardentium continuato abusu ejus in te exemplum statuas. Non novi oculis tuis remedium, nisi utriusque tibi imperes prudentem moderationem. Non videbatur illi satisfacere Poëtæ authoritas, prolegebam igitur verba Magneni. *Tabacum non adhibendum in oculorum morbis calidis, ne major concitetur fluxio, ductis ad partem affectam humoribus.* Ad quæ ille. Mi Domine Doctor impossibile mihi est abstinere illis, licet vel ipsum cernerem infernum coram me reclusum. Exhorrui & attonitus hæsi ad verba inexspectata homine Christiano indigna? O inexpugnabilis consuetudinis horrendam necessitatem! O miserrimum illius mancipium! Dimisi sinè remediis hominem ipsâ indignum Hygæiâ, cujus salubre consilium vilipendebat. Rem ceu notatu dignam retuli ad adversaria, adjecto extemporaneo Epigrammate, quod ne pereat, hìc addam. Integer enim ejusmodi adversariorum Epigrammaticorum ad varios rerum notabilium occursus viginti circiter annorum spacio à me in varias Centurias collectus fasciculus, publi-

L. C. 6.

blico destinatus, nuper mihi furto periit. Ille, quicunque sit plagiarius, hìc monitus meminerit, non tolli peccatum, nisi ablatum restituatur. Ex iis jam olim excerptum & huc translatum Epigramma hoc erat:

Faucibus ignivomis Acheronta videre reclusum,
Res homini visu nonne tremenda foret?
Et temerè malesanus ais, tibi si detur illud
Cernere, non tabaco ponere posse modum?
O vapor, ô ignis, quem styx eructat averna
Es ferus! est tabaci sævior ille vapor.
Nicotiana tuos si tollere nescit abusus
Ipse Acheron, quanta est carnificina tua!

Sumpserat in Viro isto, ceu prô dolor hodie in innumeris, id accrementi hæc in tabaco licentia, ut Nasus tribus illis Sapientis notis insatiabilibus adnumerari posse videatur. Sicuti ægrorum potus sitim accendit, sicut ignis lignis arentibus non obruitur, sed augetur; ita diuturna consuetudo jam facta necessitas aviditatem semper jejunæ naris acuit. Verè ferina hæc herba

reddiderat illum ferum, contra ſe ipſum ferocem, contra proprios oculos ferreum, ut his mallet præ illâ æternùm valedicere. O quam Chriſtianè & piè Seneca: *Natura vultus noſtros erexit in cœlum, & quidquid magnificum mirumque erat, videri à ſuſpicientibus voluit, ortus occaſuſque & properantis mundi volubilem curſum, interdiu terrena aperientem, noctu cœleſtia.* Et hæc tu vilipendis ſpectacula ô infelix abdominis, oris, naſique mancipium? Ecquid exſpectas, propter quod oculos vendis? An voluptates has nondum conſumpſiſti? Nulla tibi nova eſt, nulla jam odioſa ipſâ ſatietate eſſe poteſt. Quis ſit tabaci & vini cremati ſapor, ſcis. Nihil intereſt centum per veſicam tuam an mille Amphoræ tranſierint. Quid ſapiat tabacum, naſo, ore, dente optimè nôſti nullibi reliquiſti intactum. Atqui hæc ſunt, à quibus invitus divelleris. Quid eſt aliud, quod tibi eripi doleas? Oculos? tanti illos putas, ut habeas his chariora? Cœcitatem times, & quod viſûs lumen extinguit, percuras. O te dementem! Si te *Olympio* Villicus ſpectaret hodie, illud ſuum repeteret: *At tu ut oculos emungare ex capite per naſum*

Ep. 94.

Apud Comicum in Caſina.

ſum tuos. Amitte ergo oculos, ne propriam videas turpitudinem. O quot vir iſte habet hodie aſſeclas, de quibus dici poteſt illud Comici: *Melius, pejus, proſit, obſit, nihil vident, niſi quod lubido ſuggerit.* Et iſti *naſo pol jam quidem vident plus, quàm oculis.* Quod ut ſit aliter, non poteſt trium jugerum Elleboro obtinerier. His igitur genio ſuo & cœcitati relictis ad alios nos convertemus.

In Haeut. Act. 4. Sc. 1.
In Mil. Glor. Act. 4. Sc. 6.

§. V.

Auditus pulvere tabaci Narinoferino omnino abolitus.

NUnc igitur vobis, quibus mens ſanior eſt, & qui ad veritatis perceptionem nondum planè obſurduiſtis, alia proponenda eſt noxa, quam hoſpitanti intra aures ſenſorio non ſemel attulit, & ſic quoque deinceps inferre poteſt Nicotiana. Moleſtum homini ſymptoma eſt, ſi tintinnabuli veluti cujuſdam, aut campanæ pulſatæ ſonitus intra auris cavitatem nervos afficiat acuſticos; moleſtum eſt, ſi ſibilus ſtrepituſque quaſi flatûs aut tenuioris per anguſtius foramen coacti, aut

gra-

gravioris, quasi ex Æolipila aut è folle emissi, aut etiam aquarum quasi fluctuantium murmur aut instar cantilenæ vesparum, apum muscarumue susurri à diverso aëris sive in aurium sinubus existentis, sivè per meatûs angustiam transeuntis motu & trepidatione excitati aurem reddant inquietam. Symptoma gravius longè est, sonos non nisi difficulter eosque saltem altos percipere, gravissimum omnino nullos. Totalis sensûs auditorii ablatio etsi variis sæpè debeatur causis, hoc tamen loco & eam quandoque immoderato tabaci sternutatorii usui meritò acceptam referimus. Docet id infelici suo fato Vir ille apprimè literatus, bono aliàs corporis habitu & sanguine laudabili præditus, in *Ephemeridibus Germaniæ Medico-Physicis* adnotatus. Quem Exc. *Wagnerus* Physicus Tigurinus refert ex intempestivo & præter necessitatem crebriori ejus usu auditum auris dextræ penitus amisisse, ita ut pristinus ejus vigor nullo medicamentorum subsidio restaurari potuerit. Rationem reddit. Quod irritatis à tabaco nerveæ narium tunicæ fibris spiritus animales in nervos paris quinti explosi non tantùm diaphragma & thoracis musculos ad cre-

Dec. 2. Ann 9. Obs. 26.

crebras validasque sternutationes contraxerint, sed & violentius in nervum acusticum illapsi aërem auris interiorem ita commoverint, ut tympanum nimis dilatatum flaccidumque fuerit redditum, sicque auditus eâ parte planè abolitus. Observationem claudit hoc monito: *Alii cautiùs hinc mercari discant.* Tametsi enim non omnium inde mox patiantur aures, tamen hic valet illud Nasonis: *Posse nocere sat est.*

Non quidem omnem tabaci sternutatorii usum in lymphâ catharrali circa aures restagnante per ductus peculiares, quos *Eustachianos* appellant, educendâ rejicimus, nullatenus scribentes dicam celeberrimo *Roderico à Fonseca*, qui illud Polono nobili in gravi per decennium auditu juxta hanc quidem indicationem commendavit. Sed damnamus crebriores ex concîtis inde sternutamentis concussiones capitis, Organis sensuum noxias. Quocirca felicior hìc illorum est nasus, qui jam ad hosce stimulos ita penitus occaluit, ut vix unquam sternuat. Neque enim Nicotiana in nasis, in quorum possessione longissimi temporis habet præscriptionem, ita facilè hasce turbas excitat.

Tom. 1. Consulc. 13.

Li-

Licet & hos ipſos Naſo verè traducat ſeducatque, ut ejuſmodi tabacamaſio dici poſſit, quod olim apud *Lucianum* Zelotypa dixit juno jovi Ganymedem depereunti. *Iſte quidem modis omnibus tibi dominatur, ducitque te & circumagit ipſâ, quod dici ſolet, nare trahens.* Quod ſatis propriè & eleganter ſic ſuâ Vernaculâ reddit Perottus *Ablancourtius. Il eſt vray, qu'il eſt bien ton maitre, & te mene bien, comme l'on dit, par le nez.* Eſto non omnibus, imò vix paucis inde hebeſcere oculos aut aures. Quid inde? Plura ſanè reſtant organa & viſcera longè nobiliora quibus virulentiam ſuam poſſit affricare, ut jam pateſcet.

§. IV.

Pulveris tabaci abuſus cerebro inprimis noxius.

NIcotiana publicum mundi proſtibulum, etiam nunc vel triobulare, omnes paſſim accendit ſui amore, licet nihil niſi aut fumos obtendat inanes, aut atratum naſi pulverem. Hygæiæ ſe oſtentat amicam, ejus potius clandeſtina proditrix, ut meritò

ad

ad busta damnetur, cujus rogo inscribendum: *Tenuesque recessit consumpta in ventos.* Nihilominus ex nasi servitoribus alii eam capiti, alii pectori, alii universo corpori jactitant mirè salubrem. Inprimis verò deprædicatur ceu Antidotus antirheumatica, Catharrorum repertorium & apertorium, & quidam quasi alembicus ad eos ex encephalo extrahendos per narium canales aut salivantes oris tubulos. Obstructum & clausum est cerebri ostium, os cribriforme? Adesto hæc reserans nasi clavis. Mergitur cerebrum, mergi *ut solet immissâ naufraga puppis aquâ?* Adesto hæc antlia ad exantlandos hos fluctus. Ita quidem Analogiis luditur, neque proin desistunt noctes diesque naribus admovere hanc clavem. Verùm est. Tabacum aperit cerebri tubulos, sed sanè perniciosè. Testatur namque celeberrimus *Schneiderus*, & experimentis planum facit, os cribriforme spongiosum & cartilaginem summam narium pulveris sternutatorii usu nimio aliquando vitiari, conficique in tantum, ut naribus injectus pulvis recto tramite in cerebri membranam possit penetrare. Ex quo quæ pericula valeant imminere, nemo non videt, nisi

Virg. Æn. 1. 5.

L. de Oss. cribrif.

nisi cerebro jam sit planè pertuso.

Non negligunt antliam hanc phlegmagogam inprimis strenui calicum remiges. Quæ etsi moderatâ & prudenti applicatione aliquando sobriis cedat feliciter, nimio tamen & continuo usu cerebrum plus gravat quàm levat, ut non rarò illud locum inveniat:

Bald. Sat. C. Tab.

Debellaturus rigidâ cervice catharrum
Debilitat peto caput, & Cere-diminuit-brum.

Laudârim has narium scopulas, si eas blenna obsidet, & circa processus papillares stagnat fixa colluvies; vituperârim iis satis defæcatis. Narrat Zacutus Lusitanus fabrum lignarium diu quater quinquiesve uno anno per nasum amisisse pituitæ congelatæ & concretæ turundam dimidiæ palmæ longitudine, quæ crassitiem calami Scriptorii æquaret. Tali non inutilis fuisset Nasalis hic uncus. Cœterùm à tabaco illatam cerebro injuriam creberrima testatur experientia, cui refragari & quærere rationes, à ratione maximè foret alienum. *Thiermairius* se expertum ait, quen-

L. 1. Prax. Admir. Obs. 73.

L. 2. C. 9. f. 133.

quendam ſternutatorio pulvere commotis capitis humoribus atque ipſo vehementer concuſſo cerebro depreſſoque in apoplexiam incidiſſe. Civis Ferrarienſis ſedebat in ſedili ſtupidus immotuſque, neque ullo domeſticorum clamore excitari poterat. Accerſitur *Lanzonus* artis medicæ famâ celeberrimus: Prædicit mox affuturam apoplexiam, quæ juxta prognoſticum poſt ſeptimam morbi diem ægrum extinxit. Quis inficietur herbam hanc eſſe proditricem, quæ ex inſidiis virum hunc ne animadvertentem quidem fatis involvit? Ejuſdem farinæ & fortunæ ſocius erat alius ille, quem idem Excellentiſſimus Scriptor ob tabacini pulveris vinique infelix connubium immani phrenitide correptum, expirâſſe memorat, cui proin Poëta Italus epicedium poſuit:

Eph G. Cur. Dec. 2. Ann 10. Obſ. 131.

Molto Bacco è Tabacco uccide un huomo.

Sileo lubens alios, quos pulvis iſte reddidit attonitos, ſenſuque ac motu, imò & vitâ privavit. Exempla curioſis dabunt in Analectis ad Septalium *Rhodius* & tractatu de Apoplexia *Nymannus*. Caveat quiſquis in cerebro

ponderis quasi sensum animadvertit, ne id pulvere sternutatorio tentet excutere, quod sæpè non caret periculo. Gravedine laborans rusticus, quem inter vectores navis Harlemo Amstelodamum vehebat, circumforanei persuasu illius periculum faciebat. Sed minùs felici successu. Tantum per nasum sanguinis emitti cœpit, ut ceu mortuus humi procumbere, ac portatus Amstelodamum aliquamdiu ibi remanere necessum habuerit, ut refert Kerckringius.

Obs. Anat. c. 2. p. 3.

Non morabitur auguror Observationes hasce individuales tabacophilus nasutior. Neque ego illius moror depravatum judicium. Novi namque omnes cerebro ægrotare, qui inordinatè tabacum appetunt. Probo paradoxum. Romanus sapiens morbum definit: quod sit *judicium in pravo pertinax, tamquam valde expetenda sint, quæ leviter expetenda sunt.* Vel etiam: *Nimis imminere leviter petendis, vel ex toto non petendis; aut in magno pretio habere, in aliquo habenda vel in nullo.* Nunquid hoc morbo laboras tabacophile? Syncerius prudentiusque judicabat Plinius inquiens *perniciosissimum est in omni vita, quod nimium est.* Sed ani-

Epist. 75.

animadverto. Partialem me judicas. Audi igitur Eruditissimi *Pechlini*, si meum renuas, æquissimum judicium, quod propriis ejusdem verbis huc adscribere non pigebit. Quæ illa intemperies sic perpetuò nares pulvere illo vexare, ut inter salutationum officia atque impotentium cœnas deesse aliquid ad humanitatem videatur, nisi vel turpi rivo stillaverint, aut futilis misturæ inspiratio horridissimâ sternuentis voce prodatur? Quemadmodum verò nihil salubre est, quod consuetudine in naturam transit, ita nihil juvat frequentatum omnibus horis sternuendi desiderium, quin necessariam illam ad Sensorii tonum custodiendum humiditatem penitus expellit, justamque proportionem infringit, adeoque non Hispanis tantùm Italisque sed & Germanis irascendum esse puto, qui ridiculâ æmulatione, ut semper in istâ nimii sunt, quidquid ad partium tutelam requiritur humidi exsiccant, non sine capitis manifesto damno. Matutinis certè ad purgandum cerebrum impetumque spirituum provocandum nihil isto remedio utilius, de die autem nisi obtusum est cerebrum & humore inundatum, supervacua illa cura. Nam

L. 2. Obs. 11.

lucis mobilitate corporisque agitatione, quod reliquum est humidi facilè excutitur, ne quis temerè profuturi aliàs remedii usum profanare sustineat. Ita *Pechlinus* Scriptor elegantissimus.

§. VII.

Tabaci pulvis pectori, laryngi & pulmonibus perniciosus.

REstant adhuc apud plures inprimis Medicinæ inexpertos antiqua catharrorum deliramenta. Supersunt ridicula somnia, Stomachum ab hepate calefactum inter coquendum jugiter vapores ad caput mittere, cerebrum verò esse naturâ suâ frigidum, adeoque instar cooperculi bullienti ollæ impositi aut alembici vapores ascendentes cogere in aquam, quæ in pulmonem depluat, & rheumatum, tussis, asthmatis tabisque aliorumque innumerorum affectuum fæcunda sit mater. Strenuè igitur & totâ die pulvere Nicotianæ sollicitandas vexandasque putant nares, ut istas lymphas catarrhales ad pectus lapsuras depromant. Conatus certè puerorum, qui, quæ faciunt, ignorant. Anilis fabula modus iste fiendi catarrhi, ut solidè & luculenter demonstravit Medici-

dicinæ noſtræ Pharos Helmontius. Docet experientia, ſedulò continuatam pulveris ſternutatorii attractionem impetuoſum ſeri ad fauces & pectus fluxum in iis, qui debiliori ſunt thorace, concitare magis quàm avertere. Subtiliſſimus imprimis tabaci Hiſpanici, eo caſu nocentiſſimi, pulvis fugacitate ſuâ ad laryngem penetrat, ibique quò devenit adhærens inſitum loci Archeum cuſtodem, ut phraſi loquar Helmontianâ, corrumpit, & uberiorem laticis colliquationem ac exundationem ciet. Exemplum narrat Exc. Riedlinus de viro, qui multi admodum pulveris Nicotianæ toto die naribus attractione ejuſmodi ad pectus ſeri fluxum non ſine grandi periculo ſibi concitârat, qui tamen eo planè intermiſſo remediis convenientibus ceſſerit. *Parthenopæus* quoties pulverem Hiſpanicum attrahit (attrahit autem totos dies) mox tuſſit aliàs tamen nunquam. Remedium petit de Phthiſi anxius. Cujus loco repoſui Epigramma Martialis verſu ſaltem mutato.

Cur. Med. Millenar. Cent. 5. Cur. 473.

L. 11. Ep. 86.

Leniat ut fauces Medicus, quas aſpera vexat
Aſſiduè tuſſis Parthenopæe tibi,

Mella dari nucleosque jubet, dulcesque placentas,
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus,
Non est hoc tussis, narium orexis ea est.

Non diffitemur: in nonnullis, quibus serosior est sanguis, nares continuo stimulo irritatæ copiosam plorant lympham, quæ sub catarrhi formâ eludit nasutulis. Ast falluntur. Artificialem & pertinacem sibi producunt coryzam. Tabaci pulvis nutrimentum loci colliquando & corrumpendo in muci formam redigit, quem isti maiè nasuti vitio lymphæ aberrantis degenerantisque, aut capitis catarrho nescio cui (certè eo casu perenni) adscribunt; qui tamen ex membranæ narium glandulosæ læsione ejusque continuò vellicatæ atoniâ procedit. Purgantia non inveniunt omnem colluviem, quam assumpta per ultimam corporis thulen ejiciunt, sed magna ex parte fabricantur, colliquando primarum viarum succos nutritios, & lympham utilem ex glandulis intestinalibus exprimendo. Ita Nicotiana Catharcticorum omnium facilè violentissimum (ut ex vomitu & secessu, totiusque corporis post ejus assumptionem

nem enormi turbatione pateſcit) mucum in naribus lymphæ quoque corruptione producit, non ſemper invenit. Sicuti verò purgantia non rarò per accidens inſigne levamen adferunt, cum ſuccis laudabilibus ſimul vitioſos veluti torrente quodam abripiendo & foras ducendo, ſic in Coryzâ ferè morboſâ & catarrhali, muco viſcido narium ſumma occupanti, attenuando, reſoluendo, explodendoque pulvis ſternutatorius uſum ſæpè egregium præſtat, inprimis ſi olei majoranæ guttulâ irroretur, aut cum floribus ſupra memoratis gratum ineat connubium.

Verùm abſit abuſus. Nil pectori ad Phthiſin & Hæmopthoën proclivi tabaco ſternutatorio nocentius. Retuli nuper in *Neo-thea meâ Lagei* Phthiſici concitato per ejus abuſum profuſiſſimo ſanguinis ſputo in extremum vitæ periculum conjecti, à me tamen longo tempore ſervati, hiſtoriam, brevitatis cauſâ hìc non repetendam. Tuſſim, quâ laborabat tabidorum more contumaci, ad ſtillantes è capite catarrhos errore peſſimo referebat, quos tabaci fumo & pulvere per narium oriſque canales veluti deſtillatorios extrahendos ſperabat. Sed quo exitu? Poterat

tandem uti verbis Senecæ: *Deinde succubui, & eò perductus sum, ut ipse distillarem ad summam maciem deductus.* Liquescebat & consumebatur. Suasi abstinentiam, sed surdo. Vitam hecticus clausit. Profectò miserum est, imò stolidum, cum nolis mori, non omnia facere ut vivas. Hic cum illa muliercula, quæ nasi magnitudine virile robur metiens spe frustrata fuit, dicere poterat: ô *Nase quantum me fefellisti?* Quam noxam pulmonibus adferat Nicotiana, non semel docuit anatome. Jam olim ipse serenissimus Angliæ Rex *Jacobus IV.* publicè in Academiâ Oxoniensi disputavit contra intabaccatorum fatuitatem, adductis in medium exemplis eorum, qui diu insanabilibus pectoris morbis, imò convulsionibus, deliriis, insaniisque laborantes dissectis post mortem corporibus ostenderint pulmones totos nigros & retorridos, non secus, ac si fumo indurati essent, ut ex *Hoffmanno* refert Jacobus *Tappius.*

Epist. 7. 8.

Jo. Nevit. in Sylv. Nuptial.

In Or. de Tab. Hod. abusu.

Habeat itaque & fistula & *tabacchiera* ferias, habeat longissima intervalla. Saluberrima oris & nasi moderatio est. O insanos, saltem non verè sanos, qui omnem diem pixidem inter & fistulam at-

atque otium dividunt! Profuerit uni alterive mirè nasalis pulvisculus, casus & fortuna est. Contigit hæc isti podagrico, qui, ut refert *Welschius*, ad Ulrici Ducis Wurtenbergici petitum unicâ duntaxat vice toto decennio naribus attraxit pulverem Majoranæ & Origani, & magnâ pituitæ exantlatâ copiâ ab omni podagræ insultu penitus liberatus est. Nolite decipi ab elencho causæ non causæ. Audite vobis acclamantem Philosophiæ stoicæ Principem: *Clamo* inquit, *vitate quæcunque vulgo placent. Quæ casus attribuit. Ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite. Et fera & piscis spe aliquâ oblectante decipitur.*

Syllog. Cur. Obs 12.

Confirmabo hoc exemplo *Palladii*. Hic dum multum biberet Castalium fontem, fortè ex nimiùm antelucanis ejus haustibus catarrhali latice inundabatur. Egregius erat vates, sic & sui volebat esse medicus, eò quod Apollinem haberet propitium, qui ut artis Melicæ sic & Medicæ pater audit. Non igitur Phœbi fistulam, sed tabaci in opem adsciscit, ut & ejus pixidem, quibus catarrho *obvius ire parat*. Verùm din ludit operam:

Virg. Æneid. 10.

Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum operiens, & mole
suâ stat.

Tandem tamen pertinaci tabaci instantiâ morosa hæc coryzæ putatitiæ procella,

Idem l. c. v. 302.

Cerebro quæ pendet iniquo
Anceps sustentata diu, naresque *fatigans*
Solvitur, atque virum mediis exponit in undis.

Sed sodes quibus? intempestâ nocte excitatur ex somno, veluti à gravi mole pectori incumbente jam jam suffocandus. Anxietas actutum erigit corpus. Faucium nariumque ferè præclusarum intentior nisus ingentem sanguinis copiam circa illas partes aut ante restagnantem, aut certè jam primum extravasatam, aut fortè à cerebro deductam exprimit. Horrenda hæmopthöe & capiti & pectori dabat levamen. Unde nec illam in consilium accitus mox supprimendam judicavi donec partim vomitu partim tussi oneratæ partes sese penitus dèplevissent. Referebat

rebat etenim æger ſe molem rei è capite in laryngem & Oeſophagum delabentis manifeſtè ſubter ſomnum percepiſſe, indubitato factæ metaſtaſis indicio. Levi remedio ſtetit feliciter ſanguis, & caput majori ſerenitati, & libertati pulmones reſtitui ſunt viſa. Sed non ille malorum finis. Nares perpetuâ quâdam veluti Coryza laticem flavum corruptumque fundebant, nullo opitulante remedio, adeo ut vaſa lymphatica alicubi circa cerebri anfractus rupta (fortaſſis à crebrioribus ſternutamentis aut pulveris naſalis acrimoniâ:) in ſuſpicionem venirent, quorum conſolidatio difficillima eſt, ſi non impoſſibilis. Pulmones quoque moleſtiſſima vexabat tuſſis ſputo fœculento gravida. Conſervatus quidem uno alterove anno eſt à Diva Iatrica, quamvis in eadem ſemper navi tam rimoſa inter procellas fluctuans, ad portum tamen ſperatæ ſalutis pervenire non potuit, tandem faciens vitæ naufragium, major ſeptuagenario. Verba docent, exempla trahunt. Utinam hæc hiſtoria plures, qui naſo & ore, quàm pectore plus ſapiunt, à damno ſanitatis, quod ſibi volentes accerſunt, maturè retraheret. Aliûs itaque adhuc ex tabaco noxæ me-

memorabile, & recentiſſimum quidem exemplum hîc adjungere adlubeſcit.

Notatu digniſſima eſt obſervatio D. S. S. de polypo Oeſophagi vermiformi rariſſimo à nimii pulveris ſternutatorii Hiſpanici uſu excitato, quam recenſent *Acta Eruditorum lipſienſium* anni præteriti MDCCXV. Menſe Octobri, quæ hîc meretur contrahi in compendium. Caupo in pago *Poſſewits* prope Pirnam Joan Godfrid *Groſſe* vir annum quadrageſimum tertium agens, et obeſior corpore: (fortè & naſo) pulveris ſternutatorii Hiſpanici deliciis mirè effaſcinatus dolorem quemdam urentem à nimiâ dicti pulveris per nares attractione in medio Oeſophagi percepit, inopinatòque deglutitionis difficultatem perſenſit. Quocirca diverſos quidem conſulens medicos imò & medicaſtrum, pluribus utitur remediis ſed ſine ſperato ſucceſſu, omnibus vel in pituitam ac viſcidam materiam, interioribus Oeſophagi partibus adhærescentem, vel in ſpaſmodicam fibrillarum affectionem cauſam referentibus. Utitur et peniculo ventriculi vulgò *de Magenbörſtel*, educente quidem notabilem pituitæ copiam, ſed nullo inde ſubſequente

quente levamine. Affectus tandem id ſumpſit incrementi, ut ſine præſentaneæ ſuffocationis metu nil demum aut ſolidi aut liquidi deglutire liceret. Cauſa mali erat quod pulvis hic ſicciſſimus ſummèque volatilis corpore aliquando ſudoribus pene diffluente naribus copiosè intruſus fortiterque inſpiratus nonſolum in aſperam arteriam, verum etiam in fauces & gulam uſque penetrâſſet, tuſſimque frequentem, nec non in gula ardorem, unà cum dolore primùm obtuſo ſanguiniſque ſputo excitâſſet, & poſtmodum dolorem haud levem cum deglutitionis impedimento intuliſſet. Quæ omnia ſic ab ægro relata medico ſuſpicionem faciebant excreſcentiæ cartilagineæ ex læſione Oeſophagi obortæ. Fruſtranea itaque erant cujuſcumque medelæ tentamina. Ægrotus ob nutritionis debitæ defectum mirè fame ſitique incredibili emaciatus ac fractus tandem periit. Aperto cadavere, ut ſtupendi affectus cauſa indagaretur, repertus Oeſophagus contortus & pharyngem verſus ſolito tenuior atque accuminatior, adeo ut apertura ejus alias ſat ampla vix piſum admittere viſa fuerit. Inciſo Oeſophago inſignis ad omnium ſtuporem conſpectui ſeſe

ſtitit

ſtitit excreſcentia carnea per medium diviſa quæ in media illius parte, eaque poſtica ſpinæ dorſi adiacente initium ſumens ad pylorum uſque fère ſeſe extendebat longitudine ſpacium ſex digitorum tranſverſalium, craſſitie verò lumbricum inſignem æquabat. Subſtantia hujus excreſcentiæ polypoſæ erat carnoſo-fibrilloſa atque mollis, color verò ex albo rubicundus. Sic igitur impeditæ deglutitionis detecta conſpiciebatur cauſa, & ſimul noxa, quam anguſto faucium iſthmo ipſique Oeſophago intulerant pulverulentæ tabaci Hiſpanici leviſſimi aporrhœæ, apertis per ſudorem tubulis inſinuatæ. Caſûs ſpecialiorem evolutionem & phœnomenorum rationes propediem ipſe dabit obſervationis communicator in Diſſertatione promiſſa. Caſu hoc lecto ſtatim ſubiit memoriam, me quondam, diverſis tamen temporibus ſub curâ habuiſſe duos tabacophilos ſenes, quibus uno alterove ante obitum anno de impedimento deglutitionis, uni in medio Oeſophagi, alteri circa ejus principium, ut digito indicabant, hærente continuæ fuêre querelæ, quod nullum potuit tollere medicamentum. Fortaſſis & tale, quodcunque fuerit,

illis

illis ſubnatum eſt ex abuſu pulveris Hiſpanici, quem naſo vexatiſſimo identidem ingurgitabant. Obex hic utique mortis acceleratæ cauſa extitit. Sic hi pluresque alii ut nares ſervarent apertas, gulæ viam ſibi ſtolidè præcluſerunt.

Ite nunc vos *Naſones* tabacophili, & veſtras deperite pixides, in iiſque vitæ longæ quærite remedium, imo ad morbos, neſcio quos, curandos præſervandoſque has quibuſcunque etiam pharmacopolii capſulis præponite cum *Grannazio* Batavo qui ſic cantillat Gallizans.

Vos medecins c'eſt moi, qui vous l'aſſure,
Toute vôtre Eloquence ne peut rien,
Laiſſez agir la nature.
Si les malades, qui prennent du tabac,
N'ont pas encore le fond mal-ſain,
Ils gueriront ſans medecins.
Si j'ay le coeur mauvais ou la tête,
Vous y perdrez votre latin,
Le tabac eſt ſeul ma medecin.
Toutes vos recëttes ſont impoſture,
On ne peut forcer mon deſtein:
Je laiſſe agir ma nature.

Videtur hic apud Archicomicum Galliæ

liæ notiſſimum ſtipendia in theatro meruiſſe, ita ejus Echo eſt. Reddam latine, ut plures intelligant.

Vos medici, nil veſtra facit facundia linguæ,
Naturæ motus linquite cuique ſuos.
Hæc niſi petophilis ægris deſtructa ſit omnis,
Abſque ullis medicis eſt reditura ſalus.
Si mihi cor dolet aut caput; inde faceſſe latinum.
Nicotiana mihi ſola miniſtrat opem.
Præſcriptis dolus eſt. Nemo mea fata repellet.
Naturæ motum proſequor ipſe meæ.

Quis non rideat futiles haſce gerras? Reſpondeo tibi vir bone

Pixide quâ ſalvâ te ſalvum credis, ab illa.
Crede mihi non eſt ulla futura ſalus.

Sed cùm latinam medici tabacum tibi diſſuadentis eloquentiam aſperneris, ſatius erit naribus tuis affricare ſalem Auctoris tibi vernaculi, qui mundi larvam, & ſub ea tuam ſtoliditatem detegens ſic patrio canit idiomate:

Poirters masker van de Werelt.

Wiens

Wiens neus van den toeback rookt,
En als een backers oven ſmookt,
En dan noch poeyert ſynen ſnuyt,
Die blaeſt zyn ziel ten neuſen uyt.

ſed audi *Friſium* priori ſuo patriotæ & confratri concinentem, qui poſteaquam Cornelii Bontekoe magni quondam nicotianæ adoratoris ſcripta tabaci fumum ubique olentia fortè legiſſet, ſic modulabatur:

Il n'eſt point vache, qui approuve le tabac,
Qu'il ſoit pour la vie un tres grand appas.
La nature a dit
À nôtre appetit.
Fi des drogues de medecine!
Prenez les dans la cuiſine,
Ajoutez après repas
L'Agreable tabac;
Vous ſerés toûjours bien ſain,
Et guérirez ſans medecins.
Prenez la poudre delectable,
Vous ſerez bien gays à table.

Quos Rhytmos verſu latino ſic vertimus:

Certè non est bos, laudat quicunque tabacum,
Et, vitæ quod det commoda magna, docet.
Naturæ effatum est, superans oracula quævis,
Dictamen, nostræ lex quoque grata gulæ est.
Phui! valeant medici, dimitte Machaonas omnes:
Pharmaca multa satis cûiquè culina parat.
Si bene sis pransus, post pastum sume tabacum,
Perpetuumque tibi fiet Hygæia comes.
Pulveris illecebras & delectamina carpe,
In mensâ nemo te magè promptus erit.

Sed cum veniâ mi Domine *Frisi*, non accordat illud cum Hippocrate nostro. *Vitiosum est, quod nimium est.* Malesanus est, qui fistulam & pixidem ut necessaria vitæ colit instrumenta. Patres nostri læti diuque valentes, & canis aspersi, ad grandævam pervenêre ætatem, nec tamen eorum quisquam hanc tetigit cicutam. Sua est culinæ ne-

neceſſitas, eſt & pharmacopolio. Fruſtra in illa, jacente naturâ adverſæ valetudinis remedia quæſiveris. Sanos eò ablega & reconvaleſcentes, non lethaliter infirmos. Paſtui mox addere tabacum pica eſt, non rationalis & ſani appetitûs incitamentum. Tantum abeſt, ut ejus fumus pulviſve ventriculo digerenti ancilletur, ut omnem potius non rarò tollat appetentiam, & Diſorexiam inducat. Quotquot enim accuratius nicotianæ indolem perquiſiverunt, in eo conſentiunt omnes, quod herba nata ſit fami ſedandæ, ob ſulphur narcoticum, quo ſtomachi ſenſum obtundit, ut proximè latius *Serius* meus *in fumis luſus* oſtendet. Indigito tractatum, in quo nova ſymbola Phyſico-moralia per tabaci fumum detecta proſometricè Capnophilis dicabo; ut quæ in fumatione tabaci ſit tum noxa & vanitas, tum quæ viciſſim utilitas tam phyſica quàm moralis, intelligant.

§. VIII.

Hiſtrioni Comico *ad Tabaci elogium reſpondetur.*

Et vitia & virtutes abeunt in theatrum. Nil adeò malè aut benè agitur, quod Archimimis non fiat Comædiæ argumentum, ut nouitate quâdam ſuſpendant & delectent ſpectatorum animos. Etiam quod mirêre Nicotiana induta cothurnos ſubit Theatrum, & Excellentiæ ac dignitatis neſcio cujus mentita vultum magnam ſui exiſtimationem venatur. Audi in ejus laudes magno hiatu declamantem ingenioſiſſimum illum Dramatum magiſtrum *Molierum.* Naribus tabaco ſuffarctis, digitiſque adhuc in pixide negotioſis prodit in ſcenam, & veluti ex enthuſiaſmo redux etiam adhuc fumoſo ore ſic orditur: *Quoique puiſſe dire Ariſtote, & toute la Philoſophie, il n'eſt rien egal au tabac, c'eſt la paſſion des honnêtes gens. Et qui vit ſans tabac, n'eſt pas digne de vivre. Non ſeulement il rejouit & purge les cerveaux humains, mais encore il inſtruit les ames à la vertu, & les apprend à demeurer honnête homme.*

Feſtin. de pierre A. I. ſc. I.

me. Il eſt vray, que le tabac inſpire de ſentimens d'honneur, & de vertu à tous ceux qui en prennent. ô Ridicula & ſtolida poſtulata! *Quidquid* ait *dicat Ariſtoteles, & tota philoſophia, nihil eſt æquale tabaco, hæc honeſtorum hominum eſt paſſio. Et qui vivit ſine tabaco, non eſt dignus vivere. Non ſolùm recreat & purgat cerebrum humanum, ſed etiam animas imbuit virtute, & docet perſiſtere homines honeſtos. Verum eſt, quod tabacum inſpiret honoris ac virtutis ſenſum omnibus, qui id capiunt.* Sile nunc Ariſtoteles, ſile Philoſophia moralis. En novus morum faber, qui quantum rerum diſcernat pretia, & quantum diſſtent æra lupinis, exaſciato judicio ſe perſpicere ſatis prodit, dum tabaco viliſſimo nil æquale declamat. Si vitâ indignus eſt omnis à tabaco abſtemius, cur ſexus fæmineus vitâ quoque digniſſimus tabaci nauseâ ſe reddat illâ indignum? Hem bene! res acu eſt tacta. Etiam ad fumoſas oris ſordidaſque naſi cupedias ſic invitandum erat Galliæ Gynæceum, quo præeunte ſat certum erat etiam Germaniæ mox ſecuturum. Et certè reſpondit eventus. Incæpit Gallia ſuas deperire *Tabatieres*, & mox quoque ſuas ſimia Germania.

Ita Histrio scenicus plus sæpe obtinet authoritatis in suadendo, quàm in dehortando vir sapiens. Si tabacum recreat & purgat cerebrum, quis mortalium eo non indigeat? quis non amet cerebri serenitatem ejusque munditiem? quid ni ergo tabaco utantur & omnes valetudinarii & Clinici, quibus caput tetricum est nec satis defæcatum? successit & hoc. Etiam vel letho proximi aut paucis saltem horis ab eo distantes adhuc anhelant fumos, adhuc nasalem pulverem, ut de illis dici possit illud Senecæ: *nihil satis est morituris,*
Ep. 120. *imò morientibus.* Exemplum postulas? dissuadet Medicus pernicioso morbo decumbenti Gasconi usum tabaci. Cui ille:

Va t'en au diable,
Puisque dans cette maladie tum'es insecourable,
Tu me menera au trépas,
C'est un supplice insupportable
De vivre & de ne prendre tabac.

ad Diabolum, inquit, abeas in hoc quidem morbo haud mihi auxiliator, qui me ad tumulum deduces. Supplicium quod non feras est, vivere & non sumere tabacum.

tabacum. ô miram Tabacomaniam! ô ſpurcas oris naſique delicias, ne extremo quidem fati die terminatas! veriſſimum hic eſt illud celeberrimi Nierenbergii Viri in utroque ſcibili ſacro ac prophano verſatiſſimi effatum: *Triſtiſſima vanitatis & deceptionis victima mors illius eſt, qui ſentiens finiri vitam, non advertit finiri ſtultitiam ſuam.* Prenſavit ille tabacum ore & naſo mortis jam candidatus, quem & mox Parca atro libitinæ peplo involvit. Adſcribam ex adverſariis meis Epitaphium quod illi poſui: in Dict. genez. n. 34.

Fumus erat, dabat ore rogos, dabat ore favillas:
Ori quando dabat pabula, fumus erat.
Fumus erat, tabacum quando quoque nare trahebat,
Hoc quoque dente terens quid niſi fumus erat?
Fumus erat, levis ipſe leves diſceſſit in auras;
Deſiit & jacet in pulvere. Fumus erat.

Redeo ad Comicum. Si tabacum animas virtute imbuit, ſi inſpirat honoris

ac virtutis ſenſum, cur & Religioſi & Eccleſiaſtici illud tractare detrectent? Succeſſit & hoc. Quem paſſim religionis fratrem hodie ſine petophylaico invenias? *Hierophanta* ex plumis ſalit ad fumos, & prima incenſa adolet Nicotianæ, etiam priuſquam feliciter peractæ noctis, quæ tot Capnophilos neci dedit, ſuperis exſolvat debitas gratias. Talis quoque meminit Balde, ſic canens:

Vix ſurgens aurora novum jubar intulit orbi,
Poſcit, & ad calidum defertur fiſtula lectum,
Ut matutinos obfuſcet Ganeo ſoles.
Hæc ſunt prima Deo vigilans quæ thura miniſtrat.

Exhauſtâ vix fiſtulâ etiam ejuſdem farinæ pulvere farcit naſum cum *Marone* ſuam quaſi alloquens pixidem. *Te ſine nil altum mens inchoat.* Putat nempe, quod hauſto vino cremato & tabaco ſibi juxta Senecæ effatum *mota mens inſtinctu ſurgat excelſior, & hinc demum canat aliquid grandius ore mortali.* An putas hiſce majorem honeſti ac virtutis ſenſum ſic inſpirari? an in præclarè ge-

Georg. l. 3.

geſtorum detineri & confirmari exercitiis? Etiam hodie tot patibularii Nebulones ne communi quidem aëre digni tabacum ore naſoque prenſant, quos nullus tamen virtutis & honeſtatis ſubit ex eo ſenſus aut cogitatio. Etiam id capiunt nequitiæ procacioris Thaides, vel hircum Nicotianæ odore velantes, & nullos tamen inde ſentiunt honeſtatis pudoriſque ſtimulos. Apage ergo te Cothurnate Morio tuis iſtis cum meris nugis. Scenicus hiſtrio rarò eſt morum doctor, rarò virtutis magiſter. Quisquis è *tabacchiera* virtutis ſperat attrahere igniculos, & ad eam naribus ſtimulatis calcar, is decumano naſo egregiè infatuabitur.

§. IX.

Diſſuadetur adoleſcenti abuſus Tabaci ſternutatorii.

Ad exemplum adultorum hodie componitur pueritia, nedum prima adoleſcentia, ſic ſeculi fert genius. Fumat & trahit nare tabacum parens, quid ni & puer filius? geſtat verſatque *Tabatiere* manibus mater, quid ni & filiola? *Donnaſius* nobilis ju-

ventutis Moderator continuò utitur hoc nasitergio, quid ni & ejus informationi tradita pueritia? Nasis gigantibus arridet nicotiana, quid ni & pygmæis! vel ipsis juvenculis hodie movet salivam, dum eam primoribus ut dicitur labiis degustant. Non hic prolixos cum adolescentulis texam sermones, adducam saltem epistolas responsi & consilii loco olim exaratas ad *Sylvanum* juvenem nobilem superato ictero consultantem, num tabaci usum sibi salubrem judicarem. En primæ Epistolæ tenorem.

Abstersâ propitio Æsculapio Aurigine, fœdo symptomate naturali tuæ pulchritudini plurimum nuper detrahente, interrogas: num nicotianam tibi nunc salutarem judicem. Scribis fumosis sacris non ita pridem initiatum te esse novum Mysten, & nunc etiam pulverulentis deliciari nasi cupediis, sed tamen, quod excusationis loco addis, sat temperanter. Accipe igitur responsum brevibus & non tam verba, quæ afferam, quàm sapientum puta oracula. Ad Fistulas & pixides tabacarias se applicare adolescentulos mos quidem, non inficior, est hodiernus, sed profectò non laudabilis. Quicunque

in

in arte fumosa magister hujus consilii tibi author fuit, is sanè uti potest, *Plauti* verbis: *Quia perire solus nolo, te cupio perire mecum, benevolens cum benevolente.* Primoribus jam labris degustâsti nicotianam & prima inde mota est saliva. Exspecta, brevi plenis illam buccis hauries, & hæc largo fluet torrente. Extremis naribus eam olfacere incœpisti, etiam & disces totis. *Xerxes* cùm ficus atticas semel gustâsset per barbam suam juravit manu occupaturum terram dulcissimi hujus fructûs genitricem. Tantum valet semel degustâsse. Periculosa res est canis, qui assuescit coria arrodere, neque enim desiturus est, qui semel didicerit. *Et canis à corio nunquam absterrebitur uncto*, canit Horatius. Memento itaque tibi dictum illud Romani Sapientis: *non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris. Imbecellis est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat & vires dum procedit, parat: excluditur facilius quàm expellitur.* Idem alio loco: *Facilius est excludere perniciosa quàm regere, & non admittere, quàm admissa moderari; nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuive patiuntur.* Ita est mi

Ep. 116.

l. 1. de ira c. 7.

sul-

Sylvane. Crede fiſtula tabaci conſuetudine roborata frænos ſpernet, & rectorem rapiet ſuum, eoque feret, quò nunquam putâſſes aſcendere. Habet nicotianæ pixis intra ſe magnetem, qui & manus perpetim allicit, & cujus pulvis ad naſum veluti polum identidem convertitur. Nempe naturam rerum, & conſuetudinem oris & naſi, quæ altera natura eſt, non facile mutabis. Extremo quod dicitur ungue jam delibas, utroque quod ajunt pollice aliquando carpes. Aliquatenus inquis fumare permitte, & aliquatenus ſuſpensâ nare odorari Hiſpaniæ pulviſculum. Sed illud aliquatenus longè producitur, nec ubi vis, accipiet finem. Nobis quia non eſt regredi facile, ſatius eſt omnino non progredi. Facilitate capimur, cum difficultate certamus, ab aſſuetis vix abſtinemus. Ergo tutius fuiſſet, te nicotianæ non committere. Triſtaberis fortè ex hoc reſponſo, ſed repono cum eodem Philoſopho. *Vanos & pueriles eſſe animos omnis ſolidæ voluptatis ignaros, qui jacent & mærent, ſi falſa & mobilia oblectamenta deſtituunt.* Fumi fucum habent non ævum, & narium pulviſculi utilitatis ſpeciem, merito igitur falſa & mo-

Conſ. ad Helviam

mobilia dixeris. Alloquor igitur te Vincentii Lirinensis monito: *Dediscas bene, quod didiceras non bene.* Non bene, & nondum bene didicisti fumare, adhuc in nasali practica tyro es, ergo jam adhuc bene dedisces. Major gloria erit esse unum ex paucis quàm multis. Si rationes spernis, jussa affectûs tui morbosi necesse est ut audias. Icterus tibi imperat abstinentiam, facilem minitans relapsum, quem nisi velis avertere, perge quo cœpisti ore & naso. Hæc medici tui fidelia monita æquo bonoque animo accipe.

Obedientiæ loco reposuit ille querelas, & inofficiosum culpavit medicum, cui ego paucis: Quid quereris tibi non admitti, quod præberi solet in exitium petentis? sufficiat quod noxam expertus & ab interitu ereptus sis. Ego animum tuum in procinctu ad fugam vix retinui, & tu rursus eum Nicotianâ fugabis? stolidum est recurrere ad absentia, quæ ubi adfuêre, læserunt. Non igitur inutilibus te torque votis fato ereptus, & tam fumis quàm querelis os claude, quibus non mihi sed tibimetipsi maximè es injurius.

Verùm vix tyro jam erat magister.

Prognos-

Prognoſtico reſpondit eventus. Recidivus gravior icterus corpus defædat petenti conſilium reſpondeo.

Solatia exſpectas, accipe convitia. non enim leniter debes tractari, cum objurgatione quàm conſolatione ſis dignior. Periit opera. Medicamentorum uſu nihil actum eſt. Morbus jam priori gravior, utinam non fatalis. Accedit febris, corporis tumor, & atra cutis jam mortis geſtat ſignaturam. Occluſa aure hauſiſti poſtrema conſilia, ut oro aperto fumos apertâ nare pulverem tranſmitteres. Quid verò? an tibi condoleam? minimè.

Juſtè naufragio perit,
Qui non naufragium fugit.
Videt Neptunus nautâ deflente cadaver.

Non credidiſti mihi icterum tuum deberi tabaco. Crede ſaltem expertiſſimo *Borello* qui refert Procuratorem pariter à tabaco illum contraxiſſe, additâ epicriſi, *hoc teſtari, quid venenati in tabaco latitare.* Crede Magno *Helmontio.* Hic ſtatuit in tabaco occultum virus latè ſerpens, vires vitales conſternens, & vitæ longæ impedimentum.

Obſ. med. ph. Cent. 4. Obſ. 31.

1. mortis Occaſiones.

mentum. Crede *Grembſio*, *Thomſono* aliiſque innumeris celeberrimis Jatrices Profeſſoribus, adſtruentibus, ſulphur tabaci narcoticum revera virus eſſe, & plurimarum ex ejus abuſu reſultantium noxarum fontem. Verùm quid aliorum opus teſtimoniis? Crede jam tibi ipſi, tuoque damno. Hanc naſo tuo & ori debes ſapientiam ut jam tandem propriâ experientiâ, utinam non nimium ſerâ, ſapias. Hæc ego illi.

Vos verò adoleſcentes, imprimis ſtudioſi, non patiamini vos hoc fermento corrumpi, quod ſemel admiſſum vix expellitur. Cavete dum ſtudetis ſapientiæ, hanc mixturam dementiæ, quam Gallicus morum medicus in duos tomos diſtinguit. *La folie en deux tomes.* Evaporation: *dans nos jeunes éventez, leur cervelle eſt toûjours en l'air, & leur raiſon au vent.* Obſtruction, *mere nourice des vapeurs; étrange folie qu'on ne ſcauroit guerir que par d'autres folies.* Stultitia inquit in duobus tomis, ſeu duplex in juvenibus eſt inſania, vel ex evaporatione, in qua ratio in ventos agitur, & cerebellum fumis involvitur. Notate hoc vos Capnophili. Vel ex obſtructione, vaporum

Medecin de Moeurs

vaporum matre & nutrice. Notate narium oppilatores. Exotica ſtultitia, cui vix medearis niſi per ſtultorum folia. Sive fumis nicotianæ ventiletur cerebrum, ſive obſtructis naribus claudatur, dementia eſt *La folie par des fueilles*. Foliata hæc eſt inſania, & iſti ſtulti ſunt in folio (tabaci) & per alia folia (herbæ Anticyræ) fortè ſanari poſſunt. Vos medici, ne diffamate remedia, quæ pluribus fuëre ſaluti. Tabacomania plerumque eſt incurabilis.

§. X.

Diſſuadetur corporis aridioris ſeni tabaci ſternutatorii uſus.

Alloquor te nunc annis gravis, & rariſſimis capillis candidiſſime *Chremes*. Veniet brevi, qui ex contubernio olidi corporis animam expellat dies, veniet, qui in auras excutiat vitales ſpiritus, quid ultrò eum noxio tabaci uſu accerſis repueraſcens ſenex? effœtum jam corpus marcet, & artus reſoluti languent, & ea fumis amplius exhaurire, naſoque jam acuto, quem tremula manus vix ferit, nicotianæ pul-

pulverem ingerere nondum cessas? jam pendent genæ & corruit facies passâ uvâ rugosior, & adhuc de humido superfluo evacuando laboras? Cum pectus cicadæ sit & crura ciconiæ, & *anatis habeas Uropygium macræ*, adhuc succorum quantitate peccantium prætextu vetulam tegis consuetudinem? Si hodie te videret Plautus, repeteret illud suum: *Pumex non æquè est aridus atque hic est senex*, & tenete risum, in humido metuis naufragium? Certè non est hallucinatus Martialis Anglicus, quando tabacum *tabificum* appellavit. *Serra lumbis, cuspis eminet culo*, & totus marasmo ares senili, quæ ergo dementia est intra venas admittere furtivum tabaci ignem humidi depopulatorem? Citius ex silice aquæ guttam, quàm stillam è naribus exigas, & hisce è pulvere quæris madorem? O sanè bis puerum! De quo dici potest illud Maronis:

Mart. I. 3. Ep. 93.

Aulular. Sc. 4.

Mart. I. XI. Ep. 100.

Æn. 10.

Canitiem immundo deformat pulvere.

Sed quid hæc? Senes plerumque surdastri sunt. Surdo loquor. Ad alios itaque sermonem convertam. Noverit autem, quisquis est ex senioribus tabacamasius, ariditatem istam, quam in

corporibus auget, non esse imaginariam. Fidem faciet Exc. *Krebsii* Cameræ Imperialis Advocati observatio à D. *Du Rieux* Regis Suecorum Archiatro in Consultatione apud *Valentinum* allata. Ubi ait *Titium* perquam calidæ & siccæ naturæ, & in eminenti gradu hypochondriacum tabaco sternutatorio nimis frequenter hausto non leve sibi damnum intulisse, ariditate corporis vehementer auctâ. Ipsa verba recensui. Vos quibus adhuc acriss sub pectore & cranio fervet sanguis, quibus jam credo satis per ætatem siccatæ sunt nares & auriculæ, hæc tangit observatio. Scio, si cum prænominato *Titio* ad Hypochondriacorum tribum pertineatis, intra capita vestra hospitari omnis generis fuliginum suspiciones, cantare gryllos, aut muscas grandes volare revolareque, cæsim ac punctim piam matrem ferientes, ut alia linquam phantasmata. Sed vanus est prætextus, vana credulitas per faciei promontorium istas molestorum encephali hospitum turmas excessuras, erupturas, evasuras. Video jam corrugatis nares pilosas, & formidandum laxatis vultum. Benè est sumpsisti ptarmicum. Explodite igitur nasc

Pr. Med. infallib. p. 277.

stimu-

ſtimulato fragorem. Non terret ex pelvi fulgur minùs multò ex nare. Pergam igitur oſtendere noxam, ut quibus in ſagina naſus & cerebrum in macie eſt, id amplius intelligant.

Senibus, quibus jam *invalidæque manus & inanes ſæpe lacerti*, ſymptoma nullum eſt familiarius periculoſiuſque, quàm nervorum reſolutio, quam paralyſin vocamus. Hanc verò tabaco ſternutatorio non infrequenter conſectariam Medicorum teſtantur Ephemerides. D. Joannes Zacharias Furſtius Electoris Trevirenſis per plura luſtra, & demum Principis Monaſterienſis Archiater, meus dum viveret, *Pylades*, ſingulari caſu id comprobat, quem recenſet prædictus celeberrimus D. Valentini. L. c. p. 288. Vir nempe hypochondriacorum quoque particeps ex nimio pulveris Hiſpanici abuſu primò dolorem capitis gravativum aliquamdiu perſentit, quem dextri brachii convulſio, & tandem totius lateris paralyſis inſecuta ſunt. Rogatus cauſam & conſilium vir expertiſſimus, tabaci immoderatiùs per nares attracti vi narcoticæ & ſtupefactivæ adſcripſit. Quæ ætiologia ſeu ſanæ rationi & experientiæ conſentiens allatis §. VI. exemplis ſufficienter ſtabilitur.

Symptomata porrò ſenii ſunt, Memoriæ vacillatio, exſiccatio cerebri, obtuſio oculorum, auditûs hebetatio, quæ omnia ex pulveris tabacini intemperantiâ non rarò conſequi, jam ſupra oſtendimus: ulterius tamen id Exc. *Magneni* verbis hìc confirmare fortaſſis apud nonnullos quid momenti obtinebit. Sic igitur de iis, qui pulvere hoc naſali nimium vel intempeſtivè utuntur, energeticè loquitur. Plus unum incommodum affert doloris, quàm mille commoda voluptatis, adeo ſumus proni ad doloris amplexus. *Primum* incommodum eſt odoratûs abolitio. *Secundò* inducta cerebro intemperies, quæ memoriam labefactat. *Tertiò* operantur in medicina iſti, quando quieſcere docet, quod furoris genus appellat *Celſus*. *Quartò* attrahunt à ventriculo ad cerebrum humores pravos, immoderatâque cerebri exſiccatione aliqui vix ſibi ſatis conſtant. *Quintò* ſenium mortemque accelerant adventitia ſiccitate humido radicali infeſtâ. *Sextò* febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis & phrenitidi. *Septimò* vidi nonneminem, cui inſanus hujus pulveris uſus Cryſtallinum corrugaverat humorem, unde & fluiditam

Exerc. 8. §. 4.

tantia cernebat objecta. *Octavò* durior auditus fit iis, qui parvum caput sortiti sunt, tinnitusque aurium cuipiam contigit effrænato hujus pulveris usu. Hæc *Magnenus*. Quæ cui dicta non sufficiunt, fungum pro cerebro habet, & pluribus convinci non meretur.

Verùm non sum tabaco adeo inimicus, ut veritati fucum faciam. Novit medicus inter corporis habitudines distinguere, novit aliquid dare frigidiori naturæ & dispositioni sanguinis. Vos ergo cana capita, quibus pituitæ innatat vitalis calor, hìc præ cœteris sortiemini dispensationem. Vobis, quorum vertice nix alta jacet, quibus intra venarum ripas pigrioris lymphæ stagnat coagulum, & livida naribus dependet glacies, non invideo hoc aroma, quò madentis reducem nasi infantiam, & congelati guttam feliciùs emungatis. Carpite tabacum, & quoties exigit necessitas rorantem frigore nasum exprimite, modò quæ teste Tullio in senibus est, mens & ratio non absit.

Turpis ab algenti si pendet stiria naso,
Cum madidâ spirat fauce December atrox; Ad imitat. Martialis.

Tunc tabacum carpsisse licet, quid plura requiris?
Emungi nasum gastrice tunc liceat.

§. XI.

Tabaci sternutatorii usus sexui fæmineo inutilis ac probrosus sistitur.

DEorum Dearumque myriadem invenit superstitiosa gentilitas, quos miris nec rarò monstrosis vultibus effigiabat, reverentiam aut metum sic incussura vanis idololatris. Una tamen Deastra illis erat incognita, quam tanto numero superaddidit seculi genius, & veluti in throno posuit mortalibus adorandam. *Galanteria* nempe hodie illa Diva est tot culta ceremoniis, tot dicam fere superstitionibus à sexu novitatem pruriente. Videamus ejus adumbratæ simulacrum, quod seculi genius sic exhibet. *Galanteria* hermophrodita est, utriusque sexûs & in utroque sexu æquè potens ac valida. Phrenetica est fastu tumida & turgida, multiplici, variegato, milleque coloribus tincto inducta paludamento. Ipso vertumno versabilior, & adinstar chamæleontis ad nutum sui proci, seculi genii, formam vultusque varians.

Va-

Vaga eſt, circumforanea, erratica, imprimis tamen inviſit magnatum palatia divitumque domos. Omnem ſuperbiæ apparatum omniſque generis hominum comitatum ſecum trahit. Inprimis lateri ſuo adſcivit comitem Morionem, fiſtularum, pixidum, capſularum, larvarum ſimiliumque quisquiliarum bajulum. Ipſa manu lævâ *tabacchieram* geſtat, & in ea ſemper moroſos digitos. Aſperſæ ſunt nares, labia eorumque interſtitium flavo pulviſculo, qui barbæ mentitur lanuginem. Hæc ni fallor exactiſſima eſt *Galanteriæ* imago, ad quam hodie ſexcentæ nuptæ innuptæque ora ſua & naſos componunt, ut *Galantes* audiant. Quænam enim ex illis erubeſcit repletis tabaco naribus? Quænam frontem mutat aut genas, *ſi ſumma delumbe ſaliva hoc natat in labris* ut Perſius loquitur? Quænam pudori ducit capere & offerre aliis Nicotianæ munuſcula? nempe quia honeſtus turpi abuſui acceſſit titulus *Galanteriæ*. Non eſt vitium inquit *Naſegundis*, tabacum ſugere, tabacum nare prenſare. Quæcumque *Galanteriæ* addicta eſt, hodie aliter nequit vivere. Non ego ſola ſum. Ipſe mos hoc exigit. Seculum eſt. Et hæc ſanè non

ex trivio eſt, ſed ex nobili & patritio Gynæceo, in quo hodie innumeras facilè reperias, *quæ* ut antiquus ſcribit Calpurnius, *dant quæ negant, gaudent tamen rogatæ, ludunt formoſæ.* Sic fert educatio, ſic converſatio. Fortè quædam Galanteriæ ancilla adeſt, *Maîtreſſe de Dame* aut *de la langue* appellant (morum ſæpe peſſimæ magiſtræ) quæ accinit:

De prendre du tabac, ce n'eſt qu'un bagatelle,
Vous filles prenez auſſi, c'eſt la mode nouvelle
Prenez le par la bouche, prenez le par le nez,
Vous étes de fort bon gout, vous étes bien aviſées.

Sumere tabacum ait res exigui momenti eſt. Etiam vos Dominæ & filiæ hoc ſumite. Jam novus hic mos eſt. Sumite ore, ſumite naribus apprimè palato, & cerebro ſapitis. Hæc teneræ juventutis ſunt præcepta. Tales mulierculæ plerumque ex tribu ſunt, ex qua illa apud *Arlequinum Miſantropon*, ſic exultans. *Je dance, je chante, je bois le petit coup, je prens tu tabac, & ſi j'a-*

j'avois un mari, qui me fournoit de l'argent, & du plaisir autant, que j'en voudrois, je ne m'inquieterois jamais de rien. Salto, cano, bibo, capio tabacum, & si maritum haberem qui mihi nummos & recreationem ad lubitum subministraret, nihil me unquam inquietaret. O monstro quam fæminæ similiorem! Sic sæpè quæruntur, & adhibentur magistræ ad recens vitium, quasi difficilius erraretur sine duce. Sequuntur teneri & rudes puellarum animi cœcas istas ductrices, trahente rerum novitate & *Galanteriâ.* Cavete parentes. Non potest, esse stabilis animus, ubi leves sunt pedes, neque os nasusque ne quid de aliis partibus dicam, continens, ubi lingua nil nisi *la Galanterie, la grande mode, la tabatiere, les tasses à caffée, les visites, les promenades, les bals, les rendez-vous, les Galans* incessanter loquitur. Cogitate vos magnæ animæ corruptionem optimi esse pessimam (*la debauche des Dames de qualité est bien pire que celle des autres*, inquit certus Moralista.) Quo nobilior vester status est, eo pejor à Mediocritate est recessus. Mulier citra necessitatem fumans, mulier trahens nare tabacum perdit literas suas recommendatitias, quæ juxta Aris-

totelem ſunt pulchritudo, juxta alios prudentia. Hæc ut *Petronius* ait, raram aliàs faciunt in fæmina mixturam, in tabacinante facient rariſſimam. *Vos pucelles la beauté eſt une puiſſante lêtre de recommendation, & auſſi la prudence. Vous en perdez l'une ou l'autre en fumant, en prenant du tabac au nez. Si vous êtes ſages, gardez vos lêtres.* Si morum ſpernitis magiſtrum audite vos ridentem *Pasquinum. Eh fi, fi, voila des dents d'un blanc ſi fade, un petit nez & des narines à depenſer deux livres de tabac par jour.* Eh fi, fi! id eſt: He Phui! Phui! en dentes candoris ſic obſcuri, en naſum pumilionem, ſed giganteas nares, quæ duas tabaci libras indies conſumerent: He phui! phui! talem ſi vidiſſet Juvenalis repetiiſſet utique illud ſuum:

Medecin de Mœurs.

O qualis facies & quali digna tabella!

Hyperbole quidem in dictis *Pasquinii* eſt. Novi tamen *Ruſettam* Domicellam nobilem, quæ totidem ſaltem libras paucis ſeptimanis deſtinat naſo alias parvo & delicato, quem ipſamet appellat, *un petit nez d'une taille delicate.* Et huic merito acclamet *Pasquinus*:

nus: Eh fi! fi! fateor ex formosis est: quod igitur novum naso decus esse putat, non vult amittere, nempe istam narium flavam antheram. Quantumvis & hæc ipsa nondum naso suo contenta sit. Verum enim apud puellas manet illud fere Juvenalis: *Cuperet Rutilæ Virginia nasum accipere atque suum Rutilæ dare.* O ridiculam vanitatem! L. 4. Sat. 10.

Rusetta non sola & unica est hujusce commatis: innumeræ sunt. Adhuc unam alteramve quasi in scenam adducere non ingratum erit. *Vanella* nobilis nubilisque virgo egregiè pro sexu suo (quamvis id & ejus familiæ proprium sit) est Nasata, quam si hodie cerneret *Catullus* certè repeteret illud suum eandem salutans: *Salve non minimo puella naso.* Elegantem possidet *tabatierculam*, quam manibus continuò versans, suum ubique, quà virginibus quà juvenibus jactitat offertque pulvisculum. Nuper hanc opportunè & ex proposito clam abstulerat Scherzius, joci saltem & recreationis causâ, experturus Virginis indolem. Res namque sæpè parvi momenti & exigui pretii rapit affectus fæminarum. Canicula, avicula, addo nunc *tabatiercula* sibi vendicat puellæ amores. *Lesbia* Catulli

tulli amica mortuum deflevit passerem, de qua ipse Catullus:

Passer mortuus est meæ puellæ,
Flendo turgiduli rubent ocelli,
Quem plus illa oculis suis amabat.

Pixidunculam suam ubique sollicitè quærebat *Vanella*, inveniebat nullibi. Qui tum gemitus? Quæ suspiria? quæ querelæ? nisi pudor lacrymas revocâsset, oculi largo imbre maduissent. *O amici*, ait, *meam pixidem, mea sociam, meam salubritatem, cor meum, & meam suavitudinem! reddite, si abstulistis; digitis negotium, naso delicias, capiti levamen.* A risu vix temperabant domestici. Scherzius verò nolens ejus prorogari dolorem, ablatam restituebat, de qua veluti reperto thesauro centum boum mactatione digno mirum, quantum tripudiabat. O stolidam Virgunculam, quæ rei vilissimæ gaudet possessione, flet amissam, recuperatam ponit inter thesauros!

Sed condonemus ista infirmiori fæmellæ longiorem herculè nasum meretur *Parhasius*. Rapuererat is nuper more juvenibus consueto (nam & hæc *Galanteria* audit) à Næera non invitâ-

pixi

pixidem tabacariam, quam amoris & benevolentiæ mox credens tesseram sexcentis basiabat & rebasiabat vicibus, ubique pulveris inclusi Encomiastes. Cujus ne faceret dispendium, suspensis tantùm naribus non tam attrahere, quàm olfaccre, aliisque adorandum præsèntare non cessabat, illud Poëtæ sibi vendicans:

Pulverem dabo, quem meæ puellæ
Donârunt veneres cupidinesque,
Quem tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant Catulle nasum.

Et hæc fortassis quoque *Galanteria* est sic insanire adolescentulos. Satius illi fuisset istorum Indiæ Merdilegorum exemplo ex Næviæ Zibetho occidentali nasalem parare pulverem, quo nasum majori sympathiâ pasceret. Hunc capsulam suam sic suaviantem, similesque tabaci delirantes Amatorculos si videret Seneca, repeteret verba, quæ quondam dixit libro de vita beata. *Quod* C. 12.
ita esse concedo, sed nihilominus illi ipsi stulti, & inæquales, & sub ictu pœnitentiæ positi magnas percipiunt voluptates: ut fatendum sit tam longè illos ab omni modestia abesse, quàm à bona mente,

te, & quod plerisque contingit, hilarem insaniam insanire ac per risum furere. Ille dixit, non ego.

Adducam nunc de usu tabaci sternutatorii nuper concertans par sororum. Repetam dialogum cum venia Lectoris vernaculâ illarum, aut saltem adscititiâ linguâ, quem dein in nostram quoque transferam. *Aleidam* & *Manlitam* appellabimus; quarum hæc discursum sic inchoabat.

M. J'ay depuis deux jours un rhumatisme sur l'œil, qui fait, que je ne vois presque goutte. Mon medecin m'a conseillé de prendre tabac par nez. Mais je ne scauray m'accorder à ses raisons mal fondées, & à son impertinente ordonnance. Fy! l'horrible chose de prendre tabac!

A. Desabusez vous ma chere sœur. Il n'y a point une panacé plus assûrée pour le rhumatisme, que le tabac. Prenez en, voila ma tabatiere. Attachez un peu sur elle la reflexion de vôtre odorat. Il sente admirablement bon. Vous n'avez jamais respirée une odeur mieux conditionnée.

M. Quoy ma Sœur? êtes vous aussi infectée de cette puanteur? Prenez vous aussi un ragoût des narines? Hé ma

sœur

ſœur rejettez cette Vilaine mode.

A. Ne ſçavez vous pas, qu'il eſt aujourd'huy grande mode, qu'une jeune fille fourre ſon nez dans les tabatieres? De prendre celle poudre c'eſt de conſerver ſon teint, & ſe donner la grace dans la compagnie de jeunes hommes. Il eſt tres-bien ſeant à une jeune Demoiſelle.

M. Vous vous trompez grandement. Prenez conſeil de vôtre miroir, il vous dira, que vous gâtés plûtôt le teint fleuri, & que vous vous faites une mouſtache, que la nature vous a refuſée. Laiſſez cette drogue aux filles de cabaret.

A. C'eſt une drogue circulaire, qui va aujourd'huy de main en main, auſſi entre les filles de qualité. Je quitteray plûtôt mes points, mon fard, & mes mouches, que le tabac. C'eſt la galanterie d'avoir toûjours les tabatieres dans les mains, de donner toûjours ſacrifice à ſon nez. Prenez le donc auſſi, ſi vous ne voulez pas par maniere de converſation, au moins par le conſeil de vôtre Medecin pour vôtre Santé.

M. Moy prendre du tabac? Dieu me garde. C'eſt la pierre d'achoppement de la beauté & bienſeance. Je n'aime perdre par ces mauvaiſes odeurs, celle de ma bonne reputation. J'ay attendu, ſi

l'on s'accoutume de s'y attacher une fois, qu'on ne ſçaura pas quiter dorenevant cette coutume.

A. Il n'importe ma Sœur. La fille n'eſt pas de bois. Elle fait quelquefois une ſottiſe, qui n'eſt pas mal ſeante, quand la mode & la Galanterie l'approuvent.

M. Hé bien, ſoyez, ſi vous plait, galante je demeureray ſage. Un certain Autheur a bien écrit. L'étrange machine qu'une fille! A-t-elle de la liberte? Elle en abuſe. Jamais traitable ſur ſes defauts. La tête d'une fille (& aujourd'huy auſſi le nez) eſt le rendez-vous de l'impertinence, de caprice, & de contretemps.

A. Dites en ce que vous voulés ma Sœur. Je n'abandonne point ma tabatiére. Je chante à vôtre nez:

Dans le ſiécle, ou nous ſommes,
Le nez auſſi a ſon plaiſir.
Cette poudre plait aux plus grands hommes,
Et c'eſt auſſi mon grand deſir.
Si bien aux femmes que filles la plait fort,
Je meure, ſi je ne ſuis de leur accord.

Au-

Audiamus nunc quam in latio gratiam habeat hic Virginum discursus.

M. Jam duos dies rheumatico ad oculos defluxu detineor, quo visus tantùm non penitus omnis tollitur. Medicus meus consuluit sumere naribus tabaci pulverem sternutatorium. Sed id à me non impetro, ut ejus rationibus malè fundatis & ordinationi impertinenti morem geram. Phui! horrenda res sumere tabacum.

A. Mitte errorem soror perdilecta. Tabaco nulla est panacea certior efficaciorque ad rheumatismum. Sume, en pixidem meam. Defige paulisper in illa odoratûs tui reflexionem. Admirandum spirat odorem. Nunquam melioris conditionis suffitum inspirâsti.

M. Quid soror? Et tu quoque infecta es illo putore? Etiam tu capis illas nasi quisquilias? Vah! Soror mea pessimum hunc morem despue.

A. An nescis hodie grandem obtinere morem. Quod puellæ nasum quoque suffarciant intra capsulas tabacarias? Sumere hunc pulverem est suæ formæ curam gerere, est captare benevolentiam in consortio juvenum quod virginem nobilem quam maximè decet.

M. Nimium quantum hallucinaris. Consule amabo speculum. Testabitur id, quod potius formæ tuæ florem corrumpas, & quam natura negavit, barbam naso suffigas. Mitte hoc aroma ad cauponum filias.

A. Aroma hoc circulare est, quod hodie per manus transit etiam inter statûs Virgines. Satius mihi erit renunciare pretiosis meis filorum lineorum textis, & fuco meo, & meis faciei umbellis sive maculis adscititiis quàm tabaco. Manum habere in *tabatiercula* & naribus continuò litare *Galanteria* est. Itaque & tu sume si non conversationis, saltem sanitatis causâ ex Medici tui consilio.

M. Ego prensarem tabacum? Apage te fæditas. Prohibeant superi. Hic scopulus est, ad quem pulchritudo & morum decor allidunt. Nolim ego hâc mephyti bonæ famæ odorem amittere. Audivi si quæ semel illi captando assueverit, huic deinceps nullum consuetudinis deserendæ modum superesse.

A. Nil refert soror. Puella non est ex ligno fabricata. Interdum ad aliquam deflectat insaniam, quæ non adeo dedecet, dummodo & novus mos & Galanteria illam ratam gratamque faciant.

M. Sic

M. Sic bene. Esto tu si lubet his addicta, ego ero prudentiæ. Aptè dixit certus scriptor. Virgo mira est machina. Libertatem habet? Abutitur. Nunquam in errore patitur correctionem. Caput illius, in præsentiarum quoque nasus, impertinentiis, pervicaciæ, & rebus importunis destinatus est locus.

A. Dic quidquid lubet soror mea. Tabatierculam ego non desero meam. Tibi in faciem accino.

Nostrum sic fert seculum. Miris
Nasus modis deliciatur,
Tabacum placet magnis viris.
A me quoque desideratur.
Nuptis perplacet ac puellis,
Quibus me adnumero,
Multum in se recondit mellis,
Peream, si despuero.

O ridiculas virorum simiolas, quæ non mutatâ naturâ, sed vitâ virorum æquant licentiam! Verum est, sic fert seculum. Mulieres dantur, quæ non minùs pervigilant, non minùs potant, & tabaco & mero viros provocant, æquè invitis ingesta visceribus & ipsâ trepidante naturâ per os reddunt, &

non tantùm fumos, ſed &, quod Romanus ait morum magiſter, vinum ſæpè vomitu remetiuntur. Tales ſexûs ſui beneficium vitiis perdunt, & quia fæminam exuunt, ſæpe virilibus morbis mactantur. Etiam odoratûs vi deſtituuntur, & immaturè ad oculos vitreos damnantur, & graviter quoque audiunt, (inprimis ubi attendenda ſunt juſſa mariti) & arthritide ac podagrâ tentantur, non naturæ ſed intemperantiæ vitio, ut alia novaturientium muliercularum infelicia fata taceam. Iſtius ſaltem hìc juvat meminiſſe, cujus infauſtum caſum refert *Zodiacus Medico-Gallicus.* Fæmina à diuturna cephalæa caput levatura dum pulvere ſternutatorio uteretur, id ſternuendo effecit, ut Diaphragma Ventriculum ita deprimeret, ut eo ſitu deinceps ſemper pendere miſer cogereretur. O infelix lapſus inſontis Ventriculi, qui pœnas luit naſo debitas! Alloquor hìc jam vos poſtremùm *Naſobella* & *Florimanda*, & quotquot alit Weſtphalia, quotquot Batavia, egregiæ Virgines, in primis quæ per ora virûm & mundi oras ferri vultis antiquâ ſtirpe ſatæ, & ſupra reliquam hominum ſortem elatæ, mittite ſordidas has naſ-

Ann. 1. Obſ. 2. F. 44.

fœ-

fœculentias; abjicite *tabacchieras* & *tabatierculas* vestras; hæc viris linquite toreumata. Jam dudum sexus vester priscâ temperantiæ laude multùm excidit, quod hodie in eodem *Oenocharites*, *Polyphonas*, *Physignathas*, sive ut latinè loquentem intelligatis, multobibas, merobibas, multiloquas licet offendere, nolite vobis nova conciliare prædicata, quod sitis *Petogerulæ*, *Nasocuræ*, *Mystacophoræ*, *Tabacosorbæ*, *Nasofracidæ*, *Ronchisonæ*, nec non ob Nicotianæ abusum odorâ sæpè narium vi, oculorum acie, vocis nitore, oris decore, emunctæ naris gratiâ ridiculo potius quàm ridendo spectaculo privatæ. Phui! *Pulverum pessimorum pessimè de fæce nasi putida, sordes meræ dignæ in cloacas puris ejectarier*, in quos fætores, & vitia nasos conjicitis sexûs nobilissimi!

Verùm verba hæc apud sexum istum nil hodie significantia nilque proficientia frustra perdimus. Ita jam inolevit illi masculeus ille, si Diis placet, narium decor, ut tametsi quis *Horatii* sale & sannis, *Martialis* felle, dente *Persii*, *Lucilii* serrâ & rastro *Juvenalis* eum defricaret, obliniret, morderet, proscinderet, contereret, atta-

men vix è medio tollendus ſit, niſi prius verſâ novitatis rotâ Galanteria eſſe deſinat. Nempe & ſic fæminea pulveris naſalis libido ſponte ceſſabit. Tentanda igitur jam quoque ſunt fumoſa peti nubila, num ea meliori fortunâ diſſipare, & quàm longiſſimè trans mare Caſpium, & ad ipſos Garamantas à noſtrate fæmineo ſexu, apud quem undiquaque nondum, & rarius duntaxat hactenus ſeſe extenderunt, valeamus proſcribere. Etenim ſi & ille mos novus inter Teutonidas aliquando inoleſcat, jam nulla non fumabit, quod aliquando futurum veluti è tripode prædixit Bontekoe. Jamtum enim Anglia Dominas habet, quibus dulce ſapit fumans fiſtula. Germanæ verò ſeu prudentiores, ſeu hoc in puncto adhucdum verecundæ fumis ſeceſſum & locum ab arbitris remotum, inprimis in camera, ut vocant, charitatis deſtinant. Ad illud Cornelii noſtri vaticinium aliquando alluſi ſequenti Epigrammate:

Mos novus ac novitas ſexûs muliebris idolum eſt.
Hunc fumare novi dummodo moris erit,

Fæ-

Fæmina fumiferas accendere quælibet herbas
Tum volet, atque novæ thus adolere Deæ.
Tum tempus, quo fida suum fumando maritum
Uxor, quo matrem gnata sequetur, erit.
Si modò Germanas mos iste veniret in oras,
Quæ non fumaret fæmina, nulla foret.

§. XII.

Pro coronide sexui fæmineo fumatio Tabaci dissuadetur, imò certo sensu suadetur.

BOntekoe & *Beintema de Paima* famigeratissimum tabacophilorum par ex Professo scripsit Tabaci panegyrin. Quid mirum? Hic totus erat in fumis, & ille dies noctesque fumos tractabat. Invitârunt ad fumandum non tantùm viros, sed & postremus hic mulieres. Quasi non sat esset fumare istos, nisi & hæ forent sociæ. Consilii sanè pessimi est Author, quisquis ad Nicotianæ vapores provocat

imberbe genus. Etiam ſine magiſtro diſcit pravos mores ſequior ſequaciorque ſexus, dum innato pergit ad novitates impetu. Quis enim neſcit hinc inde jamtum dari fæminas fumipotas? Non ineptè canit Verſificator gallus:

Des hommes d'aujourd'hui
Le tabac eſt bien reçû,
Ils aiment fort la fumée,
Et c'eſt auſſi la verité,
Que ſe conforment à l'uſage
Des femmes de ce païs ci.
Si bien dans le villes que villages
Elles aiment le tabac auſſi.

Quod ſic latinè reddo:

Receptus hodie fumus eſt tabaci bene,
Gratuſque cunctis, verius quoque eſt nihil,
Quàm quod mulieres Patriæ hujus incolæ
Paſſim per urbes atque pagos hunc ament.

Verum eſt. Ubique hodie reperias fumantes bertas. Vidi non ſemel inter villicas fumantes anus. Placuit fateor ſpectaculum. Cùm nuper vix ſtrato ſur-

ſurgentem *Pannuceam Baucin* cernerem ſub foci cineribus ſcrutari ſcintillulam, quâ folia tabaci accenderet, cogitavi, num ad vivum eam poſſem ex antiquis Poëtis adumbrare. Et ecce, occurrit apud Ovidium exacta ejus delineatio paucis mutatis: Metam. l. 3.

Inde foco tenerum cinerem, dimovit, & ignes
Suſcitat heſternos, foliiſque & cortice ſicco
Nutrit, & ad fumos animâ perducit anili.

Verſatiſſimus in Satyra *Permenius* feliciori minervâ talem ſic depingit:

Fumat turpis anus, cui vertex undique canus,
Cui geminâ binum pendet quoque nare ſalinum.
Inque genis mollem faciunt Tyripippia follem.
Hinc procul ite mares, à berta hac avertite nares
Nam ſordent fætæ tabaco mihi credite Gretæ,
Sordent ut vaccæ, vel tritæ poplite braccæ.

Adi magnas urbes, quota ibi non fumat mulier?

Virgil. 7. Æneid. *Nec jam*
Se capit anna, volat vapor ater ad auras.

Vidi vix mortuo marito fumantem dominam, cui juxta *Silium* Italicum ſtabat

L. 2. & 4. *Nigranti fumans piceus caligine vertex.*

Quota non fumat virgo?

Erigit atro
Sil. It. l. 2. *Nigrantem fumo alta ad ſidera crinem.*

Perambula orbem. Intra aulas. Etiam

Aulai in medio videas litare tabaco,

L. 3. Juxtaque verſum *Propertii* inverſum

Magnaque tam parvis admota Canalibus ora.

Et cur tabaco non aſſueſcerent Virgines Reginâ fumante? *Ilium & omnis ho-*

homo fumat, inquit Vates Mantuanus. Ge. 2.
Et Reges fumant, ut hodie primùm verum sit illud Oedipi apud *Senecam* Poëtam:

Ambitque densus regium fumus caput,
Ipsosque circa spissior vultus sedet.

Et Rustici Rusticellique fumant,

Et jam summa procul villarum culmina fumant, Virgil.

Et Sacerdotes fumant,

Media positus fumabat in ara.

Quid ergo mirum, quod totus fumis involvatur orbis, quando in ore omnium vox est: Ovid. 5. Me.

Multa salus fumo, fumum te poscimus omnes.

Liceat hîc mihi in symbolo repræsentare orbem, cui seculi genius accensâ tabaci fistulâ admouet ignem, cum lemmate Horatiano: *Non sine fumo.* 1 Sc. Sat. 5.
Sed redeamus, unde digressi sumus, ad fæminas.

Pictor Arlequino Misantropo monstrabat tabulam, in qua, ut ejus propria verba præmittam, *une femme paroît*

roît devant une table pleine de bouteilles de Ratafiat. Elle a une pipe à la bouche & un verre à la main, in qua inquit ſpectabatur fæmina ante menſam vaſis Ratafiâ plenis inſtructam, ore fiſtulam tabacinam, manu vitrum geſtans. ô Egregiam modeſtiæ imaginem! Hæc nunquid plurium hoc tempore muliercularum genuina eſt effigies? Non paucæ didicerunt & fiſtulas, & totos uno hauſtu vacuare culullos. Talis eſt *Flaſconia*, talis *Fuſilla*, utraque fumipota & rancidâ nare tabaciſorba.

Gaz. in Piis Hilar.

Hæc dormit altum facilè tricenos pedes.
Miraris? arctâ nare tam graves trahit
Retrahitque ronchos, omnis ut viciniæ
Tecta tremebunda dicerent. Furit Africus.
Sit venia fandi.

Non autem habent quem ſuæ dementiæ obtendant prætextum, niſi, riſum tenete Galanteriam (certè beſtialem) & novitatem profectò ſtolidam. Scio, ſi ſeculi genius ſemel Moriæ Vexil-

Vexillum erigeret etiam futuras, quæ pro ſtoliditate pugnarent. Nempe adhuc dantur Domus, in quibus Patres, avi, majores fuerunt fatui, matresfamilias nunquam ſapuerunt, nec filii filiæque degenerant à mente gentilitia. Ab eo tempore, quo modus ferè ubique regnat gallicus (*la mode*) modus cæpit exulare latinus. De quo olim ſic luſi:

Eſt modus in rebus, tum gallicus atque Latinus;
Inter ſe multum diſtat uterque modus.
Quod modò nunc fumet mulier, modus ille modernus.
Et fumus levis eſt, & levis ille modus.
Sit modus in fumis. Acapnos fæmina vivat,
Non Galli, Latii ſeligat illa modum.

Ne quid nimis, hoc mihi placet nimis, ait antiquus Philoſophus; non ſibi tantum arroget mulier, ut citra ſummam neceſſitatem ad fumandi devolvatur licentiam.

Nezinda curioſior, quam blattam di-

diceres, ita enim ultra sexûs sui consuetudinem nasum semper inter libros habet, opponebat nuper Tabacum appellari Herbam *Medicam* & *Medicæam*, *Herbe de la Reine Mere*, quam Regina *Catharina de Medicis* suo nomine sit dignata, non dedecere ergo dominas. Verùm noverit hæc nasutula, illam non ori aut naso sed plagis Cacoëthicis sanandis à prælaudata prudentissima Regina fuisse destinatam. Illa namque, ut *Castor Durantes* canit, *Sanat plagas & vulnera jungit.*

Scio ubique esse plagas, nec suis etiam carere sexum formosum. Cui aliquando labia dilatatis oris angulis nimiùm sunt ampliata, ut loquitur *Apollinaris Sidonius.* Si illa oris garruli laxitas fumorum usu stringi posset, quis hos invideat? Verùm inflata fistula dat sonum, vereor ne & tabaci datura sit iis, quibus

Sæpe dies sermone minor fluit, inque loquendo
Tarda per æstivos deficit hora dies.

Vereor inquam, ne inspirato Nicotianæ vapore Sacrificulorum Indiæ manes patiantur. Nempe

In-

Indicus ut ſecreta ferat reſponſa Sacerdos,
Exhauſtis fumis ebria verba ſonat.
Non eget his mulier, cui per ſe lingua ſoluta eſt,
Quæ reſponſa etiam non rogitata parat
Littera Grammaticæ Vocalis Conſona nulla eſt
Eſſe utrumque tamen garrula lingua ſolet.

Perſuaſerint ergo fortè ſuis Uxoribus Doctores *Varivacca* & *Maïba* tabaci inſatiabiles gulones fumoſas iſtas delicias. Fæmina, cui continentia ac ſobrietas curæ eſt, has in illorum ponat numero, quas decor jubet eſſe vitandas. Adſtipulari fas eſt ſaniori judicio Politiſſimi *Danielis Angeli* poliatri Bononienſis, qui tabacum appellat *ſexui fæmineo ſponte ſua abominabile*. Mirum ſanè, quod & mariti deſiderare poſſint uxores fumifactrices. Aſſimilantur iſti hercle *Gallieno* Imperatori, qui ut *Trebellius Pollio* in *Poſthumo* dicit, luxuriæ & popinis vacans amore barbaræ mulieris conſeneſcebat. Erat autem hæc *Attali* Ger-

M. A. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 122.

De Bie J. R. Aur. Numiſm. tab. 44.

Germanorum regis filia cui nomen *PIPA*. Aptum ſanè cognomentum fæminis, quibus fiſtula arridet. Cavete Philocapni, ne *Pipas* veſtras trahatis in fumorum conſortia.

Quæ fumos captat mulier maleſana, marito
Fumos (& forſan cornua ſæpe) parat.
Fæmina ab innato ſenſu genioque recedens
Neſcit candorem, neſcit habere fidem.

Tabacum igitur dictum eſt herba *Medica* & *Medicœa*, à Catharina de *Medicis*, ſicuti olim à Regina Caryæ herba *Artemiſia*, & à *Gentio* Illyriæ Rege *Gentiana*. Quæ tamen compellatio nullam fæminis tribuit fumandi licentiam. Non multò magis quàm quod fæmella antiquitus dicta fuerit fumella. Quæ enim nomine non procul diſtant, ineptum foret combinare, alias enim & Gallicum *fumer* & *fumier*, *fumarium* & *fimarium*, *fumaria* herba & hodie quoque fæmina *fumaria* forent ſocianda. Videamus quæ potius inter fumos & fæminas ſit inconvenientia & contrarietas. In

Inprimis, si similes decent labra lactucas, ut est in proverbio, quid cum fumo Virgineis labellis negotii?

Et melimela damus, sacharumque, favosque puellis,
Virginiis linguis convenit iste sapor.
Non apta est tabaci teneris acredo palatis,
Naturâ dulcis Virgo, vir acer erit.

Quæcumque igitur *Virginis os habitumque gerens & Virginis arma* tetricum hujus cicutæ fugiat amarorem.

Neque cum dentibus fæmineis tabaci fumus symbolizat. Piceos enim reddit aut certè buxeos indelebili stigmate. Vidi fumipotas, quibus in ore lycanthraces potius quàm dentes credidisses. Accedebat me nuper Consilii Causa *Vetustilla* conquerens de casu dentium. Rugoso ore vix dens restitabat nisi aterrimus, & ore patulo me Caci antrum spectare putabam. Sciscitabatur causam. Monstravi tabaci fistulam cum lemmate: *Hinc illa mina.* Qui enim tabaci fumo nimium inhiant, præmaturam dentium suorum jacturam ferunt inquit Excellentissimus *Valentini.* Vetula ista Virginibus, M. A. N. C. Dec. 2. Ann. 2. Obs. 163.

quibus oris placet gratia, esto exemplum.

Cernite nunc cautæ isthac in fumante puellæ
Exemplum, quàm sit noxius iste vapor.
Excussit vetulæ dentes fuligo tabaci,
Nam dentale nimis destruit oris ebur.
Ore Gelasinum blando arridere decorum est,
Mittite dentifragi nubila tetra Peti,

Et quæ vobis fæminæ fumisugæ ex fumis gratiæ? quæ lucra? ipsa Nicotiana sic vos alloqui videtur:

Quæ me sic cupidis recipis matrona labellis,
Præmia tam stolidi sputa laboris habe.

ô Fætidum oris ptyalismum! ubi nunc verecundi oris modestia! ubi ejus compositi forma? quod aliàs loquendo vix diducere timetis, ne extra plicas torqueatur, quas ab ipsis gratiis putatis fictas, jam fumis laxatis, & *Monadis* aut furiæ rictui simile redditis atros fumos

mos eructantes. Laxi oris rima jam facit hiatum, & longo filo manat spissioris salivæ flumen. ô Effigiem *Thyade* & *Bastaride* digniorem quàm nympha, quæ vel ab ipso Deorum arbitro sibi pomum aureum sponderet! ô Deforme spectaculum, ex ore figurare fornaculæ imaginem, reddentis caliginosi aëris volumina, priusquam victrix flamma humiditatem lignorum expresserit. Olim saltem vobis tabaci fistula serviebat ducendis in cincinnos capillis, sed nunc, res ridicula! Servit etiam labiis variâ gesticulatione crispandis. Quæ autem in imbecilli cerebro inde vobis excudantur imagines, Dii noverint.

Quid porrò fædius esse potest, quàm fætens anima, omnium infesta nasis? quid autem eam putentiorem reddit, quàm tabacum, cujus ut Poëta ait,

Penè leoninus certè est odor iste ferinus? Sat. c. tab.

Animadverti in non paucis tabacisugis fædissimam oris mephytin, & presertim in Domino *Faitneant*, qui dicere potest cum Jobo: *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Vidi quorum ve- C. 19. v. 17.

ſtes ſpirarent tabaci odorem, ex quibus vel ipſa coma inde fœtebat. Novi quoque, qui mallet olfacere,

Mart. l. 1. *Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,*
Piſcinæ vetus aura quod marinæ,
Quod preſſa piger hircus in capella,

Quam infeſtum tabaci putorem. Novi, quibus vel in ſolo fumibibulorum conſortio nata eſt cephalalgia. Novi tenellas uxores nocturnos nicotianæ fætores maritis ſalſo ore exprobrantes. Quod inſerui adverſariis hoc epigrammate.

Deteſtabilius nihil eſt, quàm quando cloacam
Os redolet, verbis quando mephytis adeſt.
Uxores querulas audivi ſæpe, maritos
Capnophilos hirco plus redolere ſuos.
Damnatis iſtis ad viva cadavera nuptis
Condoleo, quibus eſt ſors miſeranda ſatis.
Aut amor aut furor eſt. Amor eſt, hæc quod ferat uxor,
Vir quod at uxori hæc inferat, illi furor.

Pu-

Putatiſne ergo, quod gratius viris ſpirabunt fæminæ fumis aſſuetæ? Num in ore Virginis odorem non deponet, aut etiam mutabit nicotiana? Deponet profectò, nec mutabitur, niſi fortaſſis iſtius Vicecomitis de *Bergamotte* ſcenici remedio utatur. Narrabat hic non poſſe belli officialem ſurgere ex protenſo ad aliquot horas prandio, niſi exhauſtis aliquot fiſtularum decadibus. Cui *Columbina*. Quid mi Domine? etiam tu fumas tabacum inſtar gregarii militis? Phui! nunquam illi poſſem adſueſcere. Reſpondet Vicecomes: neceſſum duntaxat foret, ut quinque vel ſex menſibus ſub me merereris ſtipendia, & certè fumares. Jocaris fortè. Magiſtri magni Voluminis num alias habent occupationes? Me herculè ignis fiſtulæ tabacinæ eſt ad quem Vir meriti & conditionis teneras accendit inclinationes. Reponit *Columbina*. Et tu mi Domine Vicecomes fumâſti hodie? an unquam, ait hic, in eo deficiam? Sed præcautione hac utor. Quandocunque accedendum eſt ad fæminas, quatuor vel quinque aquæ vitæ pintis os priùs probè eluo. Non credes, quàm tenera inde prodeant ſuſpiria. Quo

Theatr. Ital. tom. 2. l'homme à bonne fortune.

dicto egregiè aliquoties eructavit Grobianus. Cui *Columbina*. ô Phui! Phui! Vicecomes. Non afficior istis suspiriis. Meæ conversationis homines non condiunt sermonem & consortium tabaco & aqua vitæ, &c.

Dialogus hic est theatralis, suggerens remedium tollendi ex ore tabaci fœtorem, sed meritò ad ganeones & Epicuri de grege porcos, non ad honesta Gynæcea ablegandum. Cuneus ipso nodo est gravior & peius morbo pharmacum. Quæcunque virtutis, formæ decorisque sui custos est fæmina, *Columbina* sit, neque ejusmodi in Nicotianæ castris militantium auscultet gerras. Saniora alius ejusdem linguæ non mentis Socius. *Gardez vous mes belles de vous mêtre en mauvaise odeur par la fumée, dont la vertu doit être la Cassolette.* Id est: Cavete formosæ vos inficere pravo fumi odore, quarum virtus suavem debet præbere suffitum.

Fumatio tabaci apud sexum sequiorem quandoque etiam non caret periculo & physico & morali, quod exemplo patescet. Videtur enim res, quæ referatur digna, quoniam ex unius pictura plurimarum imagines possunt effin-

effingi, ut dicit *Barclaius*. *Erotii* vidua non ſatis prudens & cauta prolium ſuarum educatrix inſperatò animadvertit nuper *Eliſam* filiam turpi juvenis amore ardere, unde ut illa apud Virgilium ingemiſcit

Pectora reſpiciens, quæ jam infelicis Elisæ Æn. l. 5.
Collucent flammis, quæ tantum accenderit ignem
Cauſa latet.

Dicam hanc ego tibi ſtolida mater. Filia tua in liberiore cum juvene conſortio noverat erudito ore illi accendere fiſtulam, & jam quoque par Compagnie, ut vocant, ipſamet exhaurire. Non procul abfuit fumivendulus cupido. Amaſius illi viciſſim ſuſcitavit ignem, *flamma namque eſt fumo proxima* inquit *Plautus*.

Ac primum ſilicis ſcintillam extundit Achates Virg. 1. Æn.
Suſcipit illa *ignem foliis, atque arida circum*
Præbet *nutrimenta, rapitque in fomite flammam.*

Accendit fiſtulam & reaccenſa eſt. Quidni hîc aptè pro ſymbolo ponere liceat ardentem tabaci fiſtulam aliam
Sat. 3. pariter accendentem, ſubſcripto Verſu Juvenalis

Priùs ipſo tacta vapore
Eminus ardeſcit, quàm cominus imbuat ignis.

Cape tibi hoc ſymbolum Virgo, quæcunque amas ſocios fumantes, crede dari, quorum *quærit pars ſemina flammæ abſtruſa in venis.* Dicis, hæc ſocietas grata eſt, blanda eſt, amica eſt.
Ep. 17. Reſpondet ſexûs tui amator Naſo. *Lenis alit flammas* nî fugeris, tempus erit, quo ingemines cum Lucano.
4. Phars. *Flammâ propriore caleſco*, & ſerò con-
2. Æneid. queraris cum *Marone*: *Exuperant flammæ, furit æſtus.* Sed eheu! Conſilium hoc tibi nimis ſerò advenit *Eliſa.* jam ardes, & quid mirum juvenis, quem amas, ſtipes eſt, qui nutrit ignem. Ut de te dici poſſit illud Ovidii:

Natus ut Altheæ flammis abſentibus arſit,
Sic tuus ardeſcit Stipitis igne rogus.

Vo-

Vobis Virgines, quos gloria nominis & amor tangit, dedico ſequens inconſtantiæ & futilitatis in laſcivo amore Emblema, nempe Cupidinem fumantem tabacum cum lemmate *fumos vendit amor:* Addo Epigramma:

Eſt puer Idalius Vaſto promiſſor hatu,
Sed fumo levius, quod dat, id eſſe ſolet.
Fumus amarus amor. Quæcunque clientibus adfert
Gaudia, ſunt fumus, ſunt vapor, aura, nihil.
Et levis & brevis eſt fumi Veneriſque voluptas,
Sed gravis & longus fœtor utrumque manet.

Placuit jam idem ſymbolum ingenioſiſſimo Catſio cum lemmate: *fumo paſcuntur amantes.* Addit:

Fumus amans, & fumus amor, mens fumus amicæ eſt,
Et ſpeciem fumi, quidquid amamus habet.

Verùm pervicax ſeculi eſt genius. E-

tiam fiſtulas tabaci nigras plerumque præfert candidis.

Alba quidem primò eſt, ſed fiſtula nigra fit uſu,
Verginiis candor perditur à foliis.

Et quid iſtud ait refert? ardeat juvenis, ardeat puella. Sic hodie ſeculum eſt.

Fiſtula cur facta eſt, ſi non vertatur in uſum,
Extra uſum nitida eſt, ſed juvat eſſe nigram.
Altè ſuſpirans virgo matura marito,
Et flagitans fumos cœce cupido tuos,
Virginitatis ait reſtat mihi candor, at iſte,
Longius heu nullis uſibus aptus erit.

Ita exemplum *Eliſæ* plures trahit quàm retrahit. Sed vobis, quæcunque nigram albæ præfertis fiſtulam turpitudinis veſtræ ſymbolum, en aliam remitto tabaco jam exuſto plenam cum lemmate: *Fumus & Cinis*

Ignis per tabacum paulatim gliſcit, id ipſum

Con-

Consumens, juvenes sic levis urit amor.
Herba sed in cineres vanescit, & ignis in auras.
Virgo cinis, juvenum nil nisi fumus amor.

Vos igitur varium fumandi prætextum mentitæ Viragines *Jacobi* VI. Magnæ Britanniæ Regis oratione alloquor. Directa hæc fuit ad viros, multò magis igitur tanget fæminas. Tandem igitur ô cives, dico ego, ô fæminæ! si quis pudor, rem insanam abjicite ortam ex ignominia, receptam errore, frequentatam stultitiâ, unde & ira Numinis accenditur, corporis sanitas atteritur, res familiaris arroditur, dignitas sexûs senescit domi, vilescit foris, rem visu turpem, olfactu insuavem, cerebro noxiam, pulmonibus damnosam, & si dicere liceat, atri fumi nebulis tartareos Vapores proximè repræsentantem. Dixit Rex, cujus Gynæceum non fumabat, non trahebat nare tabacum. Addo ego, fugite Virgines fumos, qui nocent ori, dentibus, & decori vestro, & cum fistula tabacicrema procedite, ceu olim Minerva cum pastoritia, quæ cum

In Miscapn.

cum moneretur illius usu faciem deformari, haud cunctanter.

Ovid. de Art. 2. *I procul hinc dixit, non es mihi tibia tanti.*

Verùm si hisce omnibus non attentis adhuc contumaces constituitis fumare; per me licet, fumate:

Fumate, igne nihil levius fumoque tabaci.
Formosis levitas semper amica fuit.

Fumate. Fumus teneros feriens ocellos udos facit, & flere jubet. Fæminis pro dote lacrymas dedit natura, & hæ *ut flerent oculos erudiére suos.* Fumate igitur, & simul si vultis plorate. Verùm cavete juvenes ejus sortis Virgines. *Acre malum est stillantis ocelli*, maximè puellaris. Noxius hic aspectus est.

Sæpius asportant fumos, venduntque vapores,
Cœcantes lacrymis lumina multa suis.

Fumate. Tabacum Verginiis in agris optimè virescit, quid ni in Virginis efflorescat labris atque naribus? Sed observate morale hoc, inspicientes novam fistulam cum lemmate: *non servat si servit.* Can-

Candidulâ facie nunquid nova fiſtula ſplendet?
An minima eſt toto corpore nigra nota?
Sanè nulla. Semel fumus ſi tranſiit illam,
Semper erit fætor, Stigmata ſemper erunt.
Sic ſemel Idalios ubi virgo ſenſerit ignes,
Aufugit æternùm Virginitatis honos.

Fumate, ſi lubet vos Nuptæ, imò ſi imitari vultis barbaras Indiæ mulieres, per me quoque licet. Parva Cornicula cum illis de collo ſuſpendite ex quibus tabacum in globulos contortum, quandò placet, haurite, ſic certè novum in Germania morem habebitis. Quòd ſi una alterave hujuſmodi ſtoliditatis ſit authrix, non dubitate plurimas mox fore ſequaces. Indæ prætextum habent uteri furentis quem fumis jactitant compeſci. Vobis Germanis uteri quoque excentrici Blas non raras turbas, imò furias ciet. Itaque.

Atras prendite fiſtulas,
Nigras urite victimas

Per-

Permixtæ maribus nurus,
Solemneis agite fumos.

Fumate vos garrulæ, loquaculæ, dicaculæ. Nam relaxatis fumo oris repagulis irrequieta lingua ſaltem eo tempore ſtringetur. Facetè *jolivia:*

Il faut mieux fumer que parler,
L'Homme, qui dit ce qui penſe,
En dit toûjours trop. J'aime mieux fumer.
Une fumade eſt ſans conſequence.
En fumant je n'aime point parler.
Si je parlois, je vous dirois peut-être,
Que ſans fumer jamais je veux être.
C'eſt tout que je veux en fumant parler.

Quod verſu latino ſic ſonat.

Eſt ſatius fumare, horas quam perdere verbis,
Qui quod ſentit ait, laxat is ora nimis.
Præ verbis fumus placet, iſte eſt abſque ſequela,
Quando vaco fumis, non mihi verba placent.

Si

Si dicenda forent, solùm hæc fumando referrem,
Quod citra fumos vivere non lubeat.

Hoc itaque ex fumis sortiemini beneficium, ut ad hasce reales nugas conversæ aliquando saltem à verbalibus gerris abstineatis.

Fuma tandem, quæcumque *mobilior ventis es fæmina* ut ait *Scalpurius*. Sed simul cape aptum voluptatis symbolum tabaci fumum. Voluptas tunc cum maximè delectat extinguitur (utor verbis Senecæ) nec id unquam certum est, cujus in motu natura est. Ita ne potest quidem ulla ejus esse substantia, quod venit transitque celerrimè in ipso usu sui periturum. Eo enim pervenit ubi desinat, & dum incipit, spectat ad finem. Illa natura fumi est, illa voluptatis. De vit. beat. c. 7.

Fuma, quæcunque assiduè speculo adstas formæ tuæ arbitro, & in fumo cerne mortalitatis imaginem, quam quidam Gasco versu gallico ingeniosissimo, qui literis & omnium meretur fumantium memoriæ mandari, sic expressit:

Charmante pïpe, ardente fourneau,
Qui purge d'humeurs mon cerveau,

Et

Et mon esprit d'inquietude,
Tabac, dont mon ame est ravy,
Lorsque je te vois perdre en l'air,
Aussi promptement qu'un éclair,
Je vois l'image de ma vie.
Je remets dans mon souvenir
Ce qu'un jour je dois devenir,
N'étant qu'un cendre animée.
Et tout confus je n'appercois
Que je ne passe aussi vit, que toi.

Quod sic idiomate nostro reddimus. Illecebrosa fistula, fornacula ardens, quæ humiditate cerebrum & mentem liberas inquietudine, Tabacum animi mei prædo, quando te video evanescere in auras, & quidem subito instar fulguris, conspicio vitæ meæ imaginem, reducens memoriæ id, quod futurus sum aliquando; nempe existens nil aliud, quàm cinis animatus. Sed totus confusus non comprehendo quare non æquè citò ac tu dispaream. Verùm quorsum me rapiunt fumi? Certè cessandum hic, ne extra sphæram abripiant.

Ad imit. Mart. l. 4. Epigr. 50.

Ohe jam satis est ohe libelle,
Jam nasus satis est fricatus à te,
Tu procedere adhuc ad ora quæris,

Nec

Nec ſumma potes in ſcheda teneri?
Sic, tanquam tibi res peracta non ſit,
Quæ primâ quoque paginâ peracta eſt.
Jam naſus queritur, malèque grunnit,
Jam Virgo, juvenes, Virique dicunt,
Ohe jam ſatis eſt ohe libelle.

FINIS.

APPENDIX.

Visum est ex re esse, hic subjungere brevem verborum obscuriorum & terminorum maximè Medicorum in Dissertatione de Picâ Nasi passim occurrentium ordine Alphabetico digestam Explicationem in gratiam Lectoris minus periti; ut ad Lexico-graphos (fortè semper & ubique in promptu non existentes) confugere non sit necessum.

Studio H. G.

A *Bolla.* Vestis erat olim Senatoria à bullis sic dicta quia undique bullata. Notat etiam chlamydem seu togam militarem. Homines igitur Majoris abollæ sunt præcipuæ conditionis, quibus licitum est tali veste indui.

Alcohol. Alcool. Vox origine Arabica, est pulvis rei cujuscunque maximè subtilis & ferè inpalpabilis. Vocabulum in foro Medico frequenter usurpatum.

Alembicus seu *Alembicum* est instrumentum chymicum quod cucurbitis & vesicis destillatoriis superimponitur.

Anthera & *Autherum* significat summitates & cacuminula in florum medietate Capillamentis incumbentia ab ἄνθος flos. fit ad has à Clarissimo Authore allusio.

Aporrheæ. Sunt effluvia Sulphurea & vaporosa per corporis poros & spiracula cœtera exhalantia, ab ἀποῤῥέω defluo.

Archeus. Helmontii terminus, est aura vitalis

talis ſeminum & vitæ Directrix. h. e. Spiritus quidam ſubtiliſſimus, inviſibilis, ſeminalis. Productor & ſuſtentator omnium rerum, ſupremus ſanitatis & morborum Author. Clariùs. Archeus in homine nihil aliud eſt quam portio ſanguinis ſubtiliſſima quam ſpiritum vitalem vocant, qui in corde æquè ac cerebro volatilizatus motu ſuo omnes functiones in Oeconomiâ Animali occurrentes promovet. Aliis Microcoſmeter.

Arthritis. Sive morbus Articularis. Eſt dolor circa Articulos ab effervescentiâ Acidi & Alcali, quæ in ſuccis cicrà articulos ſubſiſtentibus abundant; unde nervi, tendines, Ligamenta, perioſtea corrugantur dolorique miſerrimo cruciantur. Diverſa pro diverſo corporis ſitu ſortitur nomina.

Aſpera Arteria. Eſt fiſtula oblonga ex cartilaginibus variis & membranis conſtans, quæ à gutture ſive faucium imo incipiens gulæque incumbens inque pulmones deſcendens per totas eorum compages ramificatione multiplici diſpergitur. *Blancard.*

Aſthma. Eſt reſpiratio difficilis parva & crebra cum ſtertore & ſibilo.

Atonia. Eſt languor, infirmitas & remiſſio virium ex α priv. & τείνω tendo.

Aurigo. Idem quod icterus vide ict.

Blas. Helmontio denotat vim motûs Archei id eſt ſpirituum vitanimalium in homine ut & motum aſtrorum tam alterativum quam Localem. Talis po-

testas etiam Utero adscribitur. Blas Uteri igitur est motus ejus irregularis & impetuosus variarum in corpore muliebri turbarum Author.

Bulimia. Est fames nimium acuta, sæpe inducens Lypothymias seu animi deliquia.

Capnophilns. Venit à καπνος *Gryzekouw, duivekervel.* & φιλέω Amo. Author utitur pro Tabaco.

Carcinoma. Est Tumor in glandulis productus instar cancri Serpens. ex καρκίνος cancer & νεμω depasco.

Catarrhus. Veteribus dicitur humorum à capite ad subjectas partes ut nares, os, pulmones &c. defluxus. Catarrhi tamen non dantur nam à capite nihil fluit, ad illas partes: Sed glandulæ narium & quæ circa oris partes sunt, sæpe obstruuntur & hinc illæ lacrymæ. Vide *Blancardi.* Lex. Ex κατω deorsum & ρεω fluo.

Catharticum. Est medicamentum purgans.

Cephalalgia. Idem quod Capitis dolor ex κεφαλὴ caput & ἀλγέω. doleo.

Cicuta. Scheerling, Dulle kervel. Pypkruid. Hoc nomine Tabacum petit Author Clar.

Clinicus. Est Medicus qui Diætâ curat.

Coryza. Sive gravedo est succorum nostri corporis ab externo frigore, inspissatio unde ex glandulis os & nares investientibus liquoris acris & salsi defluxus.

Crena. Sectionem seu fissuram dicit. Hoc loco significat eam quæ est in Calamo scriptorio.

Crispa-

Crispationes. Sunt fibrillarum nervosarum motus oscillatorii, originale verbum est Crispo *krullen.*

Cynodes Orexis. Est appetentia canina quâ homines continuò esuriunt & indesinenter oblata quævis edulia devorant sæpe ad vomitum usque.

Diaphragma. Est Sepimentum musculosum Thoracem ab abdomine distinguens.

Disorexia. Appetitus prostratio.

Ductus Lacrymales. Sunt qui omnem Lympham qua oculi irrigantur, suscipiunt & per narium ossa incedentes sese in nares exonerant.

Dura Mater. Est membrana quæ cranio intus in quibusdum locis firmiter adhæret, cerebrumque & cerebellum mediate obducit; quatuor habet sinus, qui vicem venarum sustinent & inter cerebrum & cerebellum simul conveniunt.

Dura Meninx. Idem quod Dura Mater.

Encaustum. Est color Metallico-mineralis quo aurifabri elegantissimè pingunt & sua opera aurea argenteaque exornant.

Encephalum. Est quodcunque cranii mœnis concluditur, ut cerebrum, cerebellum, medulla oblongata &c. ab in & κεφαλὴ caput.

Enchiresis. Est prompta & expedita circa res secandas actio.

Enema. Idem quod *Clyster.* Ibidis Ægyptiæ inventum ab ἐνίημι inmitto.

Epicresis. Est morbi dijudicatio.

Ephemeris Diarium est sive codex in quem Medici Historias, observationes, &

experientias ſuas quotidianas referunt. Hoc Tract. deſignat libros editos obſerv. Medicarum quales ſunt E. G. Ephemerides Leopoldinæ, quas in hac diſſert. ſæpius allegat Author.

Fibrillæ. Sunt minutiſſima ſtamina ex quibus fibræ conſtant. *Veſeltjes.*

Hæmopthoe. Eſt ſanguinis per ſputa è pulmonibus rejectio.

Herba Anticyra. Anticyra eſt inſula prope ſinum Nigreponti famoſa per Elleborum (*nieswortel*) qui ibidem creſcit.

Hygæia. Ab ὑγιαίνω. Sanitas eſt in partium fluidarum debitâ circulatione & ſolidarum exquiſita conformatione radicata.

Hypochondriacus affectus eſt paſſio mere convulſiva & flatuoſa ab humorum Biliosi & Pituitoſi vitiatorum effervescentia, eâ præſertim parte in quam fit bilis & ſucci pancreatici effuſio excitatâ, ortum ducens. Ex ὑπὸ ſub & χονδρος Cartilago.

Iatrica. i. e. Medicina.

Icterus. Eſt cutis in flavedinem mutatio.

Iſthmus. Eſt ea pars, quæ inter os & gulam ſeu guttur in modum iſthmi interjacet.

Larynx. Guttur. Græcis λάρυγξ propriè eſt caput & oſtium aſperæ arteriæ.

Lipothymia. Deliquium animi ex λείπω deficio & θυμὸς animus.

Machaona Machaon Aeſculapii filius, famoſus fuit Medicus, ab hoc verbo deducitur Machaona res Medicinalis.

Maraſmus, Eſt ſummus Tabidis ſeu Atrophiæ gradus.

Me-

Metastasis. est morbi demigratio ab unâ parte in aliam.

Narcoticum. Est Medicamentum stuporem inducens & dolorem sistens.

Nervus acusticus. i. e. Auditorius.

Nervus opticus. i. e. Visorius.

Nicotiana. Est, Herba Tabacum à Nicotio Regis Galliarum in Lusitaniam olim Legato sic appellata, utpote qui primus illud ante ignotum Galliis importavit & Reginæ obtulit undè & *l'Herbe de la Reine Mere* dictum est.

Nyctemerum. Est tempus denotans spatium 24 horarum ex νὺξ nox & ἡμέρα. dies.

Os Ethmoides. sive *Os cribrosum* est os cribriforme supra Nasum internum, foraminibus (pro vasorum transitu) plurimis pervium. Ab ἠθμὸς cribrum & εἶδος forma. ita *Blancardi.* Lex.

Oesophagus. Est fistula membranacea à faucibus Stomachum tendens quâ cibus in ore masticatus & salivâ mixtus ad ventriculum transit.

Orexis. Idem est quod fames.

Ostracodermis. Sub iis indicantur Marina quæ pelle Crustaceâ aut testaceâ teguntur, ut & varia raræ elegantiæ conchylia conchæ Margaritiferæ, Testudines &c.

Ozæna. Est ulceratio interioris naris, tetrum odorem spirans ab ὀζω olfacio.

Panacea. Est Medicamentum universale, omnes morbos indifferenter curans ex πᾶν omne & ἀκεομαι, sano.

Pathemata. Sunt animi motus ceu affectus quorum debitum & prudens regi-

men ad conſervationem ſanitatis plurimum confert à Græco πάχω paſſio.

Petipeta. Eſt nomen fictum Authoris. â *Petum*, ſtercus, ſordes quo verbo Tabacum impetit & verbo *Peto*. id e. Tabacicupidus Tabaci appetitor.

Petipoſcius. Idem à petum & poſco.

Petophylus. à Verbo petum & φιλέω amo. Sordidi Tabaci appetitor.

Petogerulæ. Petum gerentes.

Petophylacium. Tabaci pixis, Tabacicarcerculus.

Pharynx. Eſt ſuperior pars Oeſophagi, à φάγω comedo, deglutio. Latinis & *Fauces* & *frumen* Donato.

Philocapni. Amatores fumi.

Phlegmagogum. Eſt Medicamentum purgans putuitam, ex φλεγμα. Lituita & αγω duco.

Phrenitis. Eſt inſania febricitantium ſive delirium cum febre continuâ & ſæpe cum furore.

Pia Mater. Eſt membrana tenuis quæ cerebrum & cerebellum immediatè veſtit vaſculis ſanguineis quam uberrimè perfuſa, nè Spiritus animales à cerebro cerebelloque geniti avolent, apta nata.

Pica. Eſt appetitus Ventriculi depravatus quo quis magno rerum abſurdarum deſiderio tenetur. Hanc ad Naſum applicat Author, cujus rationem latiùs deducit *pag.* 1.

Picantis i. e. Picâ ſeu appetitu ejuſmodi ſpurio & inordinato laborantis.

Polypus. Eſt tumor in cavitate narium excreſcens.

Pty-

Ptyalismus. Est nimia salivæ ex ore secretio à πτύω.

Primum sensorium. Est sensus communis sedes pro quo habita est pars illa in cerebro ubi non tantum sensuum externorum sed & partium & viscerum motus ultimo terminantur, quod ad initium Medullæ oblongatæ fieri credunt Willesii Asseclæ, alii vero moderni ipsam mentem statuunt Sensorium commune, quatenus corpori unita ab omnium sensuum externorum organis afficitur atque iterum spiritus versus membra determinat. Ut fusè probat Excel. Barthol. de Moor in Patholog. cerebr. c. 13. cujus quoque sententiæ clarissim. Author suffragari videtur.

Processus Papillares. Sunt extremitates nervorum olfactoriorum quæ mucosos humores, per fibras os cribriforme perforantes in narium cavernas & palatum deducunt. ita Blancard.

Ptarmica. Sunt Medicamenta propter acrimoniam suam nares vellicantia & sternutationem cientia.

Punctum Lacrymale. Est foramen ossi nasi insculptum per quod Lacrymarum materia ad nares transit.

Pylorus sive Janitor est dextrum ventriculi orificium cibis expellendis aptum.

Ratafia. Est liquor confortativus ex diversis aromatibus compositus.

Rheuma. Est humoris è naribus in subjectas partes fluxio ut in Coryzâ contingit, à ῥέω fluo.

Rheumatismus est dolor vagus ubique ferè ap-

apparens in corpore ſæpe febriculam, tumorem, phlogoſin &c comitem habens. ita Cl. Blancard.

Sceleton. Eſt offium totius corporis compages arida arte Anatomica articulis ſuis conjuncta ab σκίλλω arefacio. Idem.

Symptoma. Eſt Phænomenon concomitans læſionem texturæ partium cum fluidarum tum ſolidarum ſive eſt accidens aut affectus præter naturam ipſum morbum ut umbra corpus concomitans aut conſequens.

Tabacophilus. Tabaci-amator.

Tabacamaſius. Idem.

Tabacipica. Tabaci appetitus depravatus.

Tabacorexis. Tabaci fames.

Tabatiera Tabatiercula. Eſt fictum à Gallico *Tabatier* Tabaci pixis.

Thymiama. Idem eſt quod ſuffitus. Et hoc loco quaſcunque notat ſpecies odoriferas quas pro excitando grato ſuffitu mittit Arabia.

Turunda. Eſt Linteum concerptum, quod unguento illitum Ulceribus imponitur. Bel. *een wieke* hujus alluſione utitur Author Clar.

Verna. Mancipium eſt & Servus ad Triremes damnatus. Diminutivum eſt vernula.

Zibetum, Eſt liquor pinguis felis Zibethicæ vulgo *Civet.*

ERRA-

ERRATA TYPOGRAPHICA.

in Ep. Ded. p. 2. *lin.* 18. *lege* quidem. in præloquio. p. 5. *l.* 21. *l.* monui. p. 2. *lin.* 6. *lege* currulis. p. 6. *lin.* 3. *l.* moralem. p. 8. *l.* 4. *l.* educeretur *lin.* 26. *l.* sic. p. 12. *l.* 21. cinnamum. p. 13. *l.* 11. *l.* personæ. p. 14. *l.* 7. deleatur &. *l.* 13. *l.* ciniflonum. *lin. pen. l.* extiterant. p. 15. *l.* 21. *l.* fasces. p. 16. *l.* 9. *leg.* optare. *l.* 27. *l.* sit. p. 17. *l.* 11. *l.* ne mirere. p. 18. *l.* 9. ea. *lege* & *l.* 22. *l.* variatur. p. 21. *l.* 15. *l.* area. p. 23. *l.* 21. & *leg.* ex. p. 24. *l.* 7. *l.* ciniflones. p. 26. *lin. pen.* quo *leg.* quæ p. 27. *l.* 24. *l.* fasces. p. 30. *l.* 24. *l.* aucupanti. p. 31. *l.* 16. *l.* sellam p. 34. *l.* 22. *l.* Nicotianam. *l.* 25. moram *l.* noxam. p. 35. *l.* 7. *l.* Phantasius p. 36. *l.* 22. *lege.* ridentis. *l.* 39. *l.* abusui. p. 38. *l.* 4. *l.* prophylacticum *l.* 20. *l.* comptula. ib. *l.* Aminthe. p. 42. *l.* 11. & *l.* es. p. 43. *l.* 6. *l.* nequiit p. 44. *l.* 20. *l.* foliis. p. 47. *l.* 7. *leg.* Magneni p. 54. *l.* 25. *l.* destinatis. *l.* 26. *l.* sint. p. 56. *l.* 2. *l.* balbâ. p. 62. *l.* 4. *l.* sint Petophylacia. p. 69. *l.* 8. *leg.* dissectione. p. 71. *l.* 4. *leg.* aporrhœæ. ib. *lin.* 27. *l.* cuniculo p. 73. *lin.* 4. *l.* Petrus &. *lin.* 13. *l.* Fabritius. p. 74. *lin.* 20. *l.* Rhodio. p. 76. *lin. pen. l.* Zwingerus. p. 77. *lin.* 9. sit *leg.* sic. p. 78. *l.* 5. *l.* graveolentes halitus p. 29. *l.* 5. adde. sed & narium resonantia libera est subsidio. ita &c. p. 116. *lin.* 23. *dele* non. p. 83. *l.* 10. *l.* obductus. p. 86. *l.* 6. *l.* Rolfinius. p. 88. *l.* 8. *l.* prælegebam. p. 39. *l.* 26. *l.* occaluit p. 94. *l.* 18. *l.* §. VI. *ibid. l.* 25. *l.* nausi. p. 96. *l.* 20. *l.* emisisse. p. 120. *l.* 4. *l.* Petophylacio. p. 123. *l.* 22. *l.* imbecillis. p. 126. *l.* 13. *l.* ore. 16. in marg. *l.* Tract.

Ut nemo sic nec liber sine vitiis nascitur.

QUÆDAM PRÆCLARA OPERA;

Apud BIBLIOPLAM.

JOANNEM OOSTERWYK.

Impressa & vili pretio comparanda.

JAn. Gruteri corpus inscriptionum ex recensione Gr. Grævii. 4. vol. in fol. char. maj.
S. Pitisci Lexicon antiquitatum Roman. Fol. 2. vol. char. maj.
S. Chauvini Lexicon Philosophicum. in fol. cum fig. edit. ul.
M. Alting. Notitia Germaniæ antiquæ. fol. 2. vol. cum. fig.
C. Vitringæ Commentarius in Jesaiam. fol.
G. J. Vossii opera omnia. fol. 2. vol.
Surenhusi Mischgna. fol. 6. vol.
Cluverii Geographia. cum XLVI. Tab. Geogr. & notis J. Bunonis, Hekelii & Reiskii. ed. ult. in 4.
J. Tolli Epistolæ Itinerariæ. 4. cum fig. edit. 2. vol.
Biblia Græca ex vers. LXX. & interpret. L. Bos. 4.
M. Brouerii de Nyedeck, ICti de adorationibus populorum veterum ac recent. cum numismat. ac marm.
T. Belli Romanorum antiquitates cum fig.
J. Broukhusii Poemata. 4.
L. Velthusii opera omnia. 4. 2. vol.
Et alia omnis generis Linguæ & facultatis præclarissima opera.

1716

Dissertatio de Fica Nasi

Amstelodami

1715